
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

STUDIA THEOGNIDEA

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE VI. M. FEBRUARII A. MDCCCLXXXXIII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOHANNES LUCAS

BORUSSUS OCCIDENTALIS

ADVERSARII ERUNT:


W. NACHSTÄDT, STUD. PHIL.

F. FRÖHLICH, DR. PHIL.

F. ZICKERMANN, DR. PHIL.

BEROLINI 1893

RICHARD HEINRICH


AUG 17 1903

CAROLO ROBERTO

S

Studia mea de Theognide in lucem prolaturus haud ignoro quam rem periculosam suscipiam. Cum enim sylloge, quae Theognidis nomen prae se ferens ad nos pervenit, tam corrupta et disturbata sit, tot res de ea incertae, cum tam multa a viris doctis de rebus illis scripta sint, sententiae ab iis prolatae admodum varient, periculum videtur ne plura de re scribendo difficultates magis augeantur quam diminuantur. Quodsi tamen de Theognide scribere ausi sumus, causa est, quod ostendere nobis proposuimus prorsus aliam atque antea viam esse ineundam, si res certas efficere velimus. Mihi enim plerumque vana videntur quae viri docti de vita Theognidis nobis enarrant, de varia eius in re publica fortuna, de itineribus in Euboeam et Lacedaemonem factis, de amicis eius Onomacrito, Clearisto, Democle aliis etc.[1]). Quamquam enim certum est multas aliorum poetarum elegias in syllogam nostram irrepsisse [2]), ita ut de eis quae restant magnam dubitationem oriri necesse sit, tamen viri docti plerique maxima carminum parte ita utuntur ut si a Theognide profecta sit. Atque si quae poetae Megarensi abiudicant, magis sensu ducuntur et

[1]) Velut Flach *Gesch. der griech. Lyr.* II p. 405, 408—11. Recte Bergk *Griech. Literaturgesch.* II p. 303 adn. 23.

[2]) Velut Tyrtaei sunt vv. 935—38 (12, 37 sqq. Bergk.), 1003—6 (12, 13—16); Mimnermi 793—96 (fr. 7), 1017—22 (fr. 5); Solonis 227—32 (13, 71—76), 315—18 (fr. 15), 585—90 (13, 65—70), 719—28 (fr. 24), 1253/4 (fr. 23), nec minus vv. 153/4 (ap. Aristot. de civitate Athen. c. 12; cf. fr. 8 Bergk.). Versus 1209—16 item Theognidi abiudicandi cui scriptori tribuendi sint dubium est. — Cf. Van der Mey Studia Theognidea p. 39—43, Sitzler Theognidis reliquiae proll. p. 36, Cauer Philol. 1890 p. 662 sqq.

arbitrio liberoque iudicio utuntur quam certis causis. Quam equidem solam viam ad quaestionem de auctoribus disceptandam idoneam puto, est observatio rerum ut ita dicam exteriorum, elocutionis et artis metricae. Fuerunt iam qui de rebus quibusdam metricis cum apud ceteros elegiographos tum apud Theognidem quaesiverint, A. Langen in dissert. q. i. De disticho Graecorum elegiaco (Vratisl. 1868) et C. Goebel in libello suo de correptione attica (Argentorati 1876). Qui tamen cum genuina et quae spuria esse possunt non satis discrevissent in disputationibus ceterum egregie institutis, non id effecerunt quod effici poterat neque inde adeo magnus fructus captus est ad quaestionem de partibus genuinis et alienis dirimendam. Nobis igitur propositum est primum quali fundamento ad omnem eiusmodi quaestionem opus sit docere, scilicet numerum quam minimum versuum definiemus quos genuinos esse fere omnes viri docti consentiunt, qua ex parte profectos in quaestione ipsa partes variae fidei seorsum tractare oporteat; deinde ipsi quoque specimen dissertationis metricae praebebimus, cum de vocali longa in fine vocis ante vocalem sequentem correpta agemus.

Caput I.

Proficiscendum est nobis a versibus illis 19—26, de quibus saepenumero disputatum est a viris doctis in sententias diversas abeuntibus [1]). Qui versus statu paene integro nobis

[1]) Welcker Theognidis reliquiae p. 121; Schneidewin Delectus poet. eleg. graec. p. 57; Hartung *Griech. Elegiker* p. 20 et 258; Leutsch Philol. XXIX p. 507 sqq.; Sitzler Theognidis reliquiae p. 25 sqq.; Hiller *Jahrb. f. klass. Phil.* 1881 p. 472; Flach *Gesch. der griech. Lyrik* p. 400; Immisch *Xenophon über Theognis und das Problem des Adels*, in commentat. Ribbeck. (Lips. 1888) p. 94 sqq.; Crusius Mus. Rhen. 1888 p. 623—25.

servati sunt nisi quod v. 24 vitium latet. Ut ceterorum conamina praetermittam, quod Bergk proposuit *ἀστοῖς τοῖσδ'* reiciendum duco, cum quem Theognis secutus sit usum de dativis brevibus nondum adhuc quaesitum sit. Diels enim qui leges apud elegiacos antiquiores valentes observavit [1]), Theognidem nondum respexisse videtur. Mihi quidem difficultas tolli posse videtur, si una litterula mutata *πάντας δὲ κατ' ἀνθρώπους ὀνομαστὸς ἀστοῖσίν γ' οὔπω κτλ.* scribimus. Vox enim *ἀστοί* saepius usurpatur pro *ἀστοὶ οἵδε*, cives huius urbis, ut v. 191, 367 (de quo infra p. 17), Sol. 10, 1. Atque quamquam contrarium quod fit inter *πάντας ἀνθρώπους* et *πᾶσιν ἀστοῖσιν* non ita commode dictum est, tamen apud Theognidem talia ferre licet [2]). Corrigamus etiam v. 22, si *πᾶς τις* apud Theognidem locum non habere iure Usener [3]) affirmavit, quod equidem mihi non plane persuasi, cum Brunsio *ὧδε δ' ἕκαστος ἐρεῖ.* Particula autem *μέν* v. 19, quae Hartungium et Immischium (p. 95) offendit, mihi recte se habere videtur, si vocem *δέ* ex v. 23 ad illam referimus (quod Immisch sensit, sed immerito reiecit), ita ut *δέ* v. 20 non adversative, sed copulative usurpatum sit [4]). Sensus autem tum est: *Sphragide illa quidem elegias meas notabo et signabo, ne quis mihi, qui iam poeta clarus et nobilis sum, ullam furto abducat. Quamquam*

---

[1]) *Abhandl. d. Berl. Akademie* 1885 p. 38. Has autem statuit leges: *Der Gebrauch der älteren Lyrik kennt in dem Dativ Pluralis der beiden ersten Declinationen nur die langen Formen auf σι (ν). Ausnahmen sind gestattet nur: 1) wenn ein Vocal folgt, also das Jota elidiert wird; 2) am Ende des Verses und in der Mitte des Pentameters; 3) bei den Formen des Artikels und des Relativum; 4) bei Combination mehrerer Dative.*

[2]) Nimis severe Immisch iudicat p. 96, qui ut sententiam suam permiram et incredibilem de Xenophonte auctore evincat, omnia in suspicionem vocat. Non recte, quamquam scite, Crusius interpungit p. 623, cum verba *πάντας δὲ κατ' ἀνθρώπους ὀνομαστός* loquentium esse non verisimile sit.

[3]) *Altgriechischer Versbau* p. 52 c. adn. 19. — Libri deteriores exhibent *πᾶς ἐρέει.*

[4]) Aliter Crusius p. 624 adn. 2.

autem per totum mundum celebratus sum, civibus (i. e. meis) *non placeo. Neque hoc mirum, Polypaide* etc.

Iam illud ex his quae posuimus apparebit, vv. 23 et 24 genuinos esse, non ab interpolatore quodam insertos. Sententia enim ab eo unde profecta est, leniter declinat et ad aliam rem transit, ut paulo aliter atque coepta erat finiatur. Hoc poeta ipse facere poterat, interpolator meo quidem iudicio non fecisset. Immo rem iam dictam aliis verbis ornasset et variasset[1]). Quin etiam si v. 24 deesset, desiderarem aliquid, ethnicum poetae. Etenim prorsus mos Graecorum est per talem occasionem etiam originem indicare. Ut omittam titulos artificum in anathematis exstantes, notissima sunt huius moris apud scriptores exempla Hecataei, Herodoti, Thucydidis. Adde distichon Eratosthenis qui Theognidem imitari videtur (epist. ad Ptol. 17 f. Hill.):

καὶ τὰ μὲν ὧς τελέοιτο· λέγοι δέ τις ἄνθεμα λεύσσων
τοῦ Κυρηναίου τοῦτ' Ἐρατοσθένεος.

Neque repugnant nobis, opinor, Hesiodus (theog. 22) et Hipparchus, ubi solum nomen positum est, cum res ibi aliter comparata sit. De Phocylide autem, fortasse etiam de Demodoco, licet conicere eos nomen in prooemio plenum dedisse, deinde in ceteris versibus non nisi formulam illam brevem *καὶ τόδε Φωκυλίδεω* s. *Δημοδόκου* adhibuisse[2]). Denique ne hoc quidem praetereundum est, quod etiam auctor libri illius de Theognide quem Stobaeus flor. 88, 14 excerpsit, sive Xenophon est sive alius quem non novimus, verba *τοῦ Μεγαρέως* in textu repperit[3]).

[1]) Interpolationem statuerunt Welcker et Sitzler, quibus vv. 25 et 26 necessario de medio tollendi erant propter eam quam de Polypaide sententiam habent. Sitzler praeterea vv. 23/4 proscripsit. Cui adstipulatur Immisch p. 95.

[2]) Immisch qui exempla illa p. 96 collegit, male eis utitur. Recte Crusius p. 624 adn. 1.

[3]) Si quis Xenophontem libellum illum negat confecisse, cetera incerta et vana sunt. Nam neque Antisthenem neque Aristotelem auctorem esse demonstrari potest. Mihi quidem Immisch librum Xenophontis esse

Sed iam nimis multa verba feci, ut carmen inde a v. 19—26 integrum neque interpolatione depravatum demonstrarem. Videamus nunc quid sphragis illa significet. Ut praeteream Camerarii et Leutschii interpretationes[1]), plerique viri docti Welckerum secuti, ut Schneidewin, Hiller, Flach, Crusius, nomen poetae signum illud intelligunt, quo elegiis initio impresso carmina a plagiariis defendere auctor voluerit. Quae sententia mihi minime probabilis videtur. Etenim poeta dicturus '*haec carmina Theognis scripsit*', si verba haec fecisset: *signum verbis imprimam, quo viso unusquisque exclamabit 'Theognidis sunt!'*, permire, ne dicam inepte et lingua balbutienti locutus esset, cum rem simplicem non aperte diceret, sed verbis artificiose circumscriberet et velaret. Ac quam ineptum, quasi hoc dicere: *Ex eo quod hic nomen Theognidis posui, unusquisque haec carmina Theognidis esse cognoscet.* Sed licet alii hanc elocutionem elegantem iudicent, tamen verba alia causa hanc interpretationem non admittunt, cum prorsus inutilis esset talis sphragis. Poeta enim Megarensis non carmen epicum perpetuum scripsit, ubi nomen capiti praefixum satis totum opus defendisset, sed magnum elegiarum minoris ambitus numerum[2]). Quas elegias cum singulatim recitatas vel potius cum tibiis cantatas esse in conviviis verisimile sit (quod poeta ipse fore sperat vv. 239—43), unamquamque eodem signo notari necesse erat, ne auctor earum oblivione obrueretur. Exspectamus igitur poetam simile quiddam facere atque Phocylidem, qui ipse quoque gnomarum scriptor singula carmina verbis *καὶ τόδε Φωκυλίδεω* orsus est.

Iam quidnam signum illud fuerit, non diutius dubium erit. Etenim cum sexies et septuagies nomen Cyrni legatur, no-

---

posse probavit l. c. p. 85—90. Quae autem sequuntur, reicienda sunt, praesertim absurda eius sententia de prooemio libri metrice composito. — Prorsus prave vir doctus verba illa q. s. *τοῦ Μεγαρέως* ex Xenophonte removere studet. Cui iure adversatur Crusius p. 624.

[1]) De iis cf. Sitzlerum p. 27.

[2]) Hartung qui carmen perpetuum fuisse putat (p. 25), sine dubio errat.

vies Polypaidis, Theognidem mihi persuasi hoc nomine praefixo elegiam ut suam significare voluisse. Hoc ita esse etiam magis inde elucere puto, quod non raro in uno carmine duo poeta nomina posuit, velut nomina Cyrni et Polypaidis coniuncta praeter vv. 19—26 etiam 53—60, 183—92, nomen Cyrni bis 69—72, 173—78, 323—28. Concedo poetam consilium suum non aperte enuntiare, sed nos quasi divinare velle. Rem autem leviter perstringit ut iam notam, ut ad id perveniat quod maxime ei cordi est, ad animum civium ingratum vituperandum. Obscuritatem autem illam si quis in sententia mea reprehendat, crimen obscuritatis cadit etiam in eos qui sententiam contrariam sequuntur. Ubi enim poeta dicit: '*Nomen Theognidis signum esto*'? Immo hoc: '*Signum quoddam adhibebo quo carmina Theognidis propria apparebit*'. Iniuria igitur Hartung et Sitzler, qui illam quam explicavi sententiam protulerunt, obscuritatis tollendae causa versum 19 depravaverunt, ille audaci coniectura (*ὄνομα* pro *μὲν ἐμοί*), hic intolerabili interpretatione verbi *Κύρνε*, scil. *τὸ Κύρνε* [1]).

Cyrnum autem, ut res notissimas quas tamen praeterire hic non licet, breviter percurramus, esse nomen proprium eoque appellari puerum quendam nobilem Megarensem fere omnes viri docti consentiunt [2]). Eundem esse Cyrnum atque Polypaidem vv. 183—92 vel maxime docent, cum coniunctio vv. 25 et 57 minus arcta sit [3]). Puerum autem esse Cyrnum

---

[1]) Quod iure reiecit Immisch p. 95 adn. 1.

[2]) Welcker *κύρνος* appellativum esse voluit quo adulescentes nobiles Megarensium significentur (p. XXXIII). Quem a Schneidewino p. 55 refutatum solus Sitzler secutus est p. 29. Cf. Hiller p. 473.

[3]) Etiam hanc sententiam non probabilem Welckeri (p. C—CII) unus Sitzler accepit proll. p. 28 argumentis permiris usus (merito adversatur Hiller l. c. p. 473). Eandem rem accuratius tractavit in quaestione q. i. *Studien zum Elegiker Theognis* (*Progr. v. Tauberbischofsheim* 1885) p. 15 sqq., non maiore eventu. Vide Hillerum *Fortschr. d. klass. Altert.* 1888 p. 139. — Polypaidem patronymicum Cyrni esse primus dilucide Schneidewin demonstravit (p. 50). Quocum paene omnes hodie viri docti faciunt, ut Bergk *Literaturgesch.* II p. 320 adn. 85, Sittl *Gesch. der griech. Lit.* I p. 262, alii.

poeta ipse indicat vv. 27/8. Neque hoc dubitare licet meo quidem iudicio, quin Cyrnus ἐρώμενος fuerit Theognidis [1]), ut eum inscriptio codicis *h* et Suidas appellant. Quod quidem ex versibus 253/4, 371/2, 655/6 sequitur, si genuini sunt, quod equidem non dubito (qua de re infra). Neque est cur maculam huius amoris omni opera Theognidi abluere laboremus, cum etiam alios poetas Graecos veteres libere et sine verecundia παιδικά sua celebrare libidinemque profiteri videamus. Nomino Alcaeum, Mimnermum et Anacreontem, Solonem, Ibycum [2]). Atque Megaris quidem, id quod ad Theognidem magni refert, quo paene in honore amor puerorum fuerit, docet Theocriti Ἀΐτης vv. 27 sqq. [3]). Quamquam hanc consuetudinem quae inter Theognidem et Cyrnum intercesserit, ne putaveris adeo turpem aut obscaenam fuisse. Est potius ἔρως ille οὐράνιος Platonis, cupiditas virtutis animis adolescentium generosorum inserendae, cuius amoris exemplar praeclarissimum in Convivio Socrates depingitur. Idoneus est etiam quo ratio illa quae intercedat inter ἐραστήν et ἐρώμενον notionis optimae illustretur, locus Theocriti 13, 8 [4]). — Ceterum ad illustrandum quomodo Theognis puero amato praecepta dederit quodque fuerit inter eos commercium, praeter omnes apti sunt versus inde a 1049 usque ad 1058, quos inter se coniungendos esse persuasum habeo.

Sed iam satis multa de re: videamus quid ex eis quae disputavimus sequatur. Nihil aliud nisi hoc, carmina ea quae

---

[1]) Sic iam Schneidewin p. 47.

[2]) Cf. Cic. Tusc. IV 33, 71. Adde quod Horatio in carminibus componendis ubi saepe de pueris pulchris sermo fit, Alcaeum et Anacreontem exemplo fuisse certum est. Vide etiam fragmenta illorum poetarum, ut Anacr. 2—4, 24, 45, 66; Solonis 24—26. Cf. in universum Herwerdenum animadversiones ad Theogn. p. 16.

[3]) Hoc recte monet Christ *Griech. Litteraturgesch.*[2] p. 114 c. adn. 7, qui de tota quaestione vere iudicat.

[4]) Quem comparant Leutsch in Philol. XXX p. 227 et Bergk p. 320 adn. 86, qui tamen amorem puerilem Theognidis non recte imaginem poeticam a Theognide fictam interpretantur.

nomine Cyrni vel Polypaidis notata sint genuina esse fundamentumque firmum nobis praebere, in quo pedem figere possimus. Neque vero inde efficitur, quod Sitzler falso affirmavit, cetera omnia carmina quae aut nomen Cyrni non habeant aut aliud nomen prae se ferant, necessario spuria esse [1]). Immo ex v. 23 Theognidem evidentissime apparet iam tum poetam clarum fuisse, i. e. iam poemata in publicum edidisse [2]). Quibus ex carminibus cum nonnulla a poetis malis furto subducta essent, hanc novam quam composuit syllogen Cyrno dicatam certo sigillo notavit.

Neque paucae sunt elegiae quas quamquam nomine Cyrni careant tamen a poeta Megarensi profectas esse equidem credam. Ut vv. 773–82, de quibus hodie vix quisquam dubitat, deinde vv. 1049—58 quos iam commemoravi, porro 97—100 nec minus vv. 197—208 quos cum versibus 753—56 sane a vv. 743—52 secernendis in unam elegiam coniungendos esse conicio. Versus autem 99/100 et 755/6 apte cum 37/8 comparari posse nemo negabit (cf. etiam verba ταῦτα μαθών 37 et 753) [3]). Quamquam optimum esse duco nos finibus angustioribus ideoque certioribus contineri et eis contentos esse versibus quos poeta nomine amati apposito suos significaverit. Hoc recte monuerunt etiam Bergk (p. 314) et Beloch (*Jahrb. f. klass. Phil.* 1888 p. 730). Tamen res non tam simpliciter se habet, nam praeterquam quod nonnulli critici quibusdam locis nomen Cyrni in suspicionem vocant [4]), elegiae non paucae etiam aliis difficultatibus laborant. Itaque haud

---

[1]) P. 32 et 35. Cf. Hiller p. 474.

[2]) Optimo iure plerique viri docti Theognidem ὑποθήκας εἰς Κύρνον aetate provectum, fortasse iam senem scripsisse existimant. Schneidewin p. 47, Leutsch Phil. XXIX p. 513, Bergk p. 320.

[3]) Appellationes q. s. φίλε et φίλ' ἑταῖρε paene credo ad Cyrnum pertinere. Sed obstare videtur quod v. 753 non φίλε Κύρνε dictum est ut metrum patiebatur (ut 181 et 539). Quod coniectura restituere non audeo. Ad versum autem 99 conferas v. 1138 ex carmine sane spurio.

[4]) Hartung ad v. 213; Usener *Jahrb. f. klass. Phil.* 1878 p. 70; Immisch l. c. p. 94 adn. 2.

alienum erit a re omnes quae quidem ad nomen Cyrni pertineant, in quibus aliquid offendat vel de quibus nonnulla disputanda sint, paucis examinare.

Incipiamus autem a vv. 237—54 saepissime arte critica vexatis. Textus formam maxime eam probo quam Hiller (in Anthologia lyrica post Th. Bergkium quartum edita 1890) reiectis Bergkii coniecturis minime necessariis restituit [1]. Totam autem elegiam spuriam duxerunt Bernhardy (*Griech. Literaturgesch.* II 1³ p. 533), cuius argumenta magnam partem perversa Bergk refellit (Mus. Rhen. 1845 p. 421—24), Langen (de disticho Graecorum elegiaco p. 32) [2], van der Mey (studia Theognidea p. 23), van Herwerden (animadversiones philologicae ad Theognidem p. 12—14; cf. p. V); item Sitzler (p. 34) et Hiller (p. 473 et 471 adn. 38), quorum uterque eo commotus est quod amorem puerilem in Theognidem non cadere existimavit. Quod mihi prorsus falsum videtur, nam non licet suo arbitrio quamlibet poetae imaginem sibi fingere et quae contradicere videantur ut subditicia eicere, immo ex carminibus traditis qualis sit poeta discendum est. Cf. quae exposuimus supra p. 7. Neque nimis valde poetam fama per totum orbem propagata gloriari concedo, quoniam illa

[1]) Et scriptura librorum *εὐκόσμως* intelligi potest et quod Bergk correxit *ἐν κώμοις* molestum est post *θοίνης* et *εἰλαπίνῃσι*. *Ἐρατοί* melius ad *νέοι ἄνδρες* refertur, quamquam *κῶμοι ἐρατοί* non insolens dictio esset (cf. 778; Bacchyl. fr. 13, 12). Porro si quid in sententia quae exprimitur verbis *οὐχ ἵππων νώτοισιν* offendit, id scriptura Bergkii non tollitur. Fortasse recte equos alatos intelligi Crusius (Mus. Rhen. 1888 p. 627) arbitratur. V. 251 cum Bergkii *γάρ* locum non habeat, merito Hiller Lachmanni coniecturam q. e. *πᾶσι δ' ὅσοισι* recepit. *Ὄφρ' ἂν ᾖ* plane illicitum videtur propter Theognidis usum mutae cum liquida de quo conferas Goebelium de correptione attica p. 11. Ego praeoptaverim *ὄφρ' ᾖ* omisso *ἄν*, ut 984, 1354, Tyrt. 10, 28, Mimn. 12, 10 (et saepe apud Homerum). Quomodo autem corrupta lectio *ἄν* orta sit, probabiliter explicat Usener *Jahrb. f. klass. Phil.* 1878 p. 70 adn. 2. V. 253 denique *αὐτὰρ ἐγὼ οὐδ' ὀλίγης παρὰ σεῦ νῦν* cum Cobeto lego, cum *ἀλλά* non apte cum *ὀλίγης* coniungi posse videatur. — Ad imagines a poeta usurpatas compara Pind. Nem. 5, 2; Isth. 1, 56; Euenum Ascalonitam *A P* IX 62, 6.

[2]) Sed cf. quae infra dixi p. 18 adn. 1.

scriptorum confidentia et aestimatio sui ab hominibus nostrorum temporum aliena apud antiquos non insolita est. Qua in re satis est de Ennio (apud Cic. Tusc. I 15, 34) et Horatio (carm II 20, III 30 [1]), IV 3) admonere. Nec minus perverse agunt qui carmen in duas vel tres dilacerant partes. Hermann, Hartung, Leutsch (Philol. XXIX p. 680 sq.) alteram elegiam v. 246 concludunt, alteram cuius initium amissum sit, inde a v. 247 incipere volunt. Versus autem extremos 253/4 Leutsch in sede sua relinquit, Hartung post 246 adnectit, Hermann ut tertium fragmentum secludit. At prorsus falso post v. 246 illi incidunt, cum mirus esset casus, si carmina aliena ita in unum coaluissent, ut verba alterius aptissime alterum exciperent. Neque sententiam bis repetitam concedo, cum Bergk vv. 237—43 ad gloriam Cyrni vivi, versus sequentes ad mortui pertinere docuerit. Ne loquacitas quidem et verborum copia aliquid miri habet utpote quae saepius apud poetam nostrum occurrat [2]). Exempli causa vv. 43 – 52 verbose compositos affero, ubi vv. 49 et 50 Sitzler adeo non iure proscribit, ut in iis potius proprium poetae quiddam agnoscendum sit. Nempe non raro enuntiato secundario incipi videmus, primario pergi, secundarium alterum priori similiter conformatum adiungi. Ut vv. 93—96 quos genuinos iudico. Eodem pertinet quod poeta v. 37 iterat quod vv. 31 et 32 dixerat. Versus denique 253/4 non male ad verba antecedentia adnexi mihi quidem videntur. Etenim poeta ad pertinaciam et animum ingratum pueri optime illustranda quonam modo melius progredi poterat, quam explicato quam bene de eo meritus esset pergere verbis acerbis illis q. s. *αὐτὰρ ἐγὼ οὐδ' ὀλίγης* etc.? Quae cum ita sint, totam elegiam

---

[1]) Hoc quoque carmen ad exemplum Graecum redire ex Critiae fr. 7 argumentum simile exhibente conicere licet.

[2]) Crusius l. c. p. 627: *Es ist dies jene bei Theognis wie bei allen griechischen Elegikern oft zu beobachtende Fortführung des Gedankens 'in Spirallinien'.*

inde a v. 237 usque ad 254 non dubito in numerum genuinarum adscribere [1]).

Venio nunc ad elegias tres duplici forma in libris traditas, ita tamen variatas ut alterutram spuriam esse necesse sit. Versus dico 39—42 et 1081a—1082b, 53—60 et 1109—14, 213—18 et 1071—74. Atque versus quidem 53—60 quin pristinam formam a Theognide ipso datam reservaverint vix dubium esse potest. Quid? cum versus 1109/10 ieiunam antithesim verborum *κακοί* et *ἀγαθοί* contineant, nonne versus 53—60 multo praestant utpote eandem rem amplioribus verbis et peculiari quadam dictione describentes? Quid, quod v. 1112 commemoratio matrimoniorum vehementer offendit a poeta propriae elegiae (183—92) reservata? Quid, quod v. 60 sententiam rectam exhibere, non v. 1114 primo obtutu videmus? Appellationis vero Polypaidis v. 57 minus ratio habenda est, quoniam eos qui Polypaidem a Cyrno discernant hoc argumentum in contrariam partem vertere consentaneum est (Sitzler p. 35).

Quomodo autem formam carminis spuriam explicabimus? Ita opinor ut quendam ex memoria versus schedis mandasse, ubi memoria non suppeditaret lacunas suis verbis explevisse putemus, postea hanc novam elegiam ut vere Theognideam in syllogam aliquam receptam esse. Similem fortunam versus Tyrtaei apud Theog. 935—38 passos manifestum est. Equidem, ut hanc rem paucis verbis hic tangam, omnino aliter errores illos et vitia quibus sylloge libris tradita abundat orta esse mihi persuasi atque viris doctis plerisque visum est. Velut illi eum qui florilegium nostrum composuerit, carmina etiam Tyrtaei, Mimnermi, Solonis adhibuisse putant quae sciret horum poetarum esse, deinde anthologiam ex

---

[1]) Carmen Theognidi relinquunt Schneidewin (p. 47), Bergk, Christ (*Litteraturgesch.*[2] p. 115), Crusius. — Welcker, qui solos vv. 253/4 exclusit (p. LXXXII), carmen finem totius syllogae fecisse putat.

parte potiore denominasse [1]). Mihi vero illa carmina, cum errore memoriae falso pro Theognideis haberentur et verus auctor in oblivionem venisset, in syllogas Theognidis pervenisse videntur, id quod pro argumento plerumque gnomico et didactico facile accidere poterat [2]).

Verum ut ad id unde digressa est quaestio revertamur: versus 53—60 nobis genuini esse videbantur, forma vero post vv. 1080 variata spuria. Eodem modo controversiam disceptaverunt M. Schaefer in dissertatione sua magna laude digna q. i. De iteratis apud Theognidem distichis (Halis 1891) p. 8—11, quamquam ratione paulo alia concludens, et Cauer Philol. 1891 p. 533 sqq. [3]). Iidem cum etiam de versibus 39—42 et 1081 a – 1082 b (Schaefer p. 6—8, Cauer p. 533) [4]), 213—18 et 1071—74 (Schaefer p. 17 sq., Cauer p. 535 sq.) Theognideam carminum formam priore loco fidelius servatam quam posteriore praeclare evicerint, non opus est plura de re verba facere. Itaque versus 1071—74, 1081 a—1082 b, 1109—14 sine ulla dubitatione ex Theognideis secludemus et removebimus.

Porro sunt quas in duas partes dirimendas censeam elegiae. Vv. 83—86 cum Hillero confidenter a versibus ante-

---

1) Velut Hiller p. 471; Bergk poet. lyr. Graec. II⁴ p. 235 et 236, *Literaturgesch.* p. 315 sqq.

2) Similem quandam sententiam Schoemann (schediasma de Theognide opp. IV p. 24) profert his verbis: *Nimirum omnem hanc collectionem non sana quadam et severa ratione critica confectam esse manifestum est, sed institutam ab aliquo veterum poetarum studioso, qui quidquid ubique Theognideum ferri videret, nullo certo ordine, sed ut quidque occurrisset .... in chartas coniiceret, non anxie de singulorum auctoritate sollicitus.* Deinde tamen in sententiam paulo aliam abit.

3) Cf. Hiller p. 461, qui tamen argumentationem suam depravat ea quam verborum ἀγαθοί et κακοί statuit notione. Vide etiam van der Meyum p. 8 adn. 1.

4) Prior carminis forma cur eligenda sit, etiam argumento esse mihi videtur vox q. e. ἡγεμόνα v. 1081 b, quae ut cum verbo στάσιος coniungi poterat (vid. Mimn. 9, 4), ita hic displicet, cum proximo versu sensu paulo alio redeat.

cedentibus seiungo cum quibus nihil commune habeant, et scribo *τόσσους οὔ χ' εὕροις*[1]).

Neque maiore iure unam elegiam legi mihi persuasi vv. 145—48, quos post Brunckium denuo Bergk conglutinavit. Etenim versus primi praeceptum quod saepe occurrit apud Theognidem continent, scil. paupertatem cum probitate multo praestare quam divitias iniuste partas. Contra vv. 147/8 sententiam generalem de iustitia exhibent, atque quamquam versu qui est

ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν

concedo apte pergi potuisse, iam versus 148 longius a re tota recedit. Itaque propter solum verbum *ἀδίκως* duo disticha perperam coniuncta esse mihi videntur, inter quae similitudo non nisi fortuita intercedat. Quod Bergk ad sententiam suam confirmandam ad scholiastas quosdam Aristotelis provocat, quippe qui versus coniunctos legerint, ego hos testes non curo. Nam cum syllogam hanc quae nobis in manibus est, iam ante aetatem Alexandrinam factam verisimile sit[2]), non mirum quod scholiastae eundem quem nos ordinem versuum reppererunt. Locum denique Isocrateum Bergk perperam attulit, utpote qui nihil ad rem pertineat. Verum utut de tota quaestione iudicabitur, res magis elucebit loco inferiore ubi denuo de vv. 147/8 agemus (p. 19 sq.).

Suo iure denique vv. 545/6 Bergk a 543/4 seclusit, quem secuti sunt Hartung et Hiller.

Neque desunt quos inter se coniungendos ducam versus a nonnullis viris doctis dissentiens. Atque certior est res de versibus 355—60 quos Hartung et Hiller in unum concinnaverunt. Bergk qui olim idem fecerat, postea sententiam

---

[1]) Vocabulo *οὐχ* dissecando particulam necessariam *κέ* recuperari posse primi perspexerunt van der Mey p. 48 et Clemm *Jahrb. f. klass. Phil.* 1883 p. 10.

[2]) Bergk Poetae lyr. Graec. II⁴ p. 234 sqq. Hiller l. c. p. 470, cuius tamen argumentationem, quantum pertinet ad librum *ἐλεγείων β*, non probo.

illam immerito reiecit. Quo loco si cum Brunckio ἐπιφαίνων restituimus, omnia bene se habent. In verbis enim q. s. μηδὲ λίην ἐπίφαινε nullo negotio animo suppletur κακόν ex v. 357; quod facilius fit cum subsequatur κακὸν δέ τε etc.

Contra in versibus 87—92 novissimus editor Hiller vehementer a vero aberravit, cum versus 89—92 dirimeret a disticho antecedenti. Quos sex versus unum facere carmen evincit cum sententiarum contextus tum repetitio versuum 87—90 post v. 1082 in codicibus *A O* aliis [1]).

Venio nunc ad elegiam quae pertinet a v. 323 usque ad 328. Quam in fine depravatam esse inter omnes fere criticos convenit neque adhuc medela desiderio legentium apte satisfaciens inventa est [2]). Velut periculum Bergkii qui δ'οὖν proposuit minime placet, cum vox οὖν supervacanea non nisi ad versum resarciendum posita sit et dictio parum elegans fiat. Explicationem Welckeri qui lectionem traditam defendere conatur, quamvis arguta sit [3]), tamen cum ad consilium poetae non quadrare videatur improbo. Sitzleri autem interpretationem quae est: dei nolunt ea ferre i. e. in se admittere, confiteor me non intelligere. Neque ita ut fortasse quis suspicetur locum qualis traditus est explicare licet: dei non solent (οὐκ ἐθέλουσι) talia ferre, eo sensu ut cladem ferre, calumniam, repulsam dicitur (ut etiam Sitzler intellexisse videtur). Sic enim latine loquuntur, graecum exemplum mihi quidem non notum est. Qua in re cum Usenero consentire mihi videor qui v. 742 φέρεται pro φέρει desideret; quod cum versus non patiatur, id quod eundem habet sensum restituit, ἔχει [4]).

---

[1]) Hoc non satis respexisse videtur Schaefer qui p. 12 Hillero immerito astipulatur.

[2]) Novissima coniectura est Hilleri (in praef. anthologiae p. X): πᾶσιν, Κύρνε· θεοὶ δ' οὐκ ἐθέλουσ' ἀφελεῖν.

[3]) P. 106: *Cum vi omissa est sententia adversativa; deos quidem, ait, non ferre hominum peccata, sed punire; nos autem ferre debere, quum vindices eorum non simus constituti.* — Hanc explicationem accipit Herwerden p. 22.

[4]) *Jahrb. f. klass. Phil.* 1878 p. 66.

Atque quia versum simplici modo scil. uno verbo corrigendo despero emendari posse, distichon post v. 328 intercidisse arbitror, quo disticho amisso cum oratio hiaret, ab aliquo in v. 328 exeunte *φέρειν* positum esse, ut plena efficeretur sententia[1]). Sententia autem quam protulit poeta, duplici modo propagari poterat in eis quae amissa puto, aut: *delicta soli dei non committere solent*, aut: *dei nolunt peccata hominum omnia punire.*

Jam transeamus ad vv. 897—900, qui in libris manu scriptis perquam corrupti leguntur multaque virorum doctorum tentamina passi sunt. De quibus quid nos iudicemus breviter exponamus. Primum cum Hartungio *καί* pro *ὡς* v. 898 et cum Hermanno *τῶν τε δικαίων τῶν τ'ἀδίκων* in versibus ultimis scribimus. Deinde id agendum ut nomen Jovis vel generalis significatio deorum — nam de numine divino vitiis hominum indulgente agi luce clarius est — restituatur. At ceteri quae proposuerunt facere non possum quin reiciam. Etenim iam inde quod tam vehementer variant lectiones propositae, rem apparet hac via cum probabilitate ad finem perduci non posse. Accedit quod quomodo illi corruptionem quae hodie exstat ex lectione sua existiment natam, intelligere non possum. Equidem si codicis *A* scripturam ex qua sine dubio proficiscendum est respicio, aliter iudico. Legitur enim ibi: *Κύρν' εἰ πάντ' ἄνδρεσσι καταθνητοῖς χαλεπαίνειν*, ubi facili negotio restituas *χαλέπαινεν*. Conicias igitur nomen Jovis in versibus antecedentibus casu quodam abscissis positum fuisse. Quod magis confirmatur eo quod vv. 897—900 nullo modo plenam integramque elegiam facere possunt. Deest enim id quo universa sententia spectet, praeceptum Cyrno dandum, ad quod explicandum haec adduntur: *Jupiter enim si hominibus omnibus irasceretur* etc. Jam elucebit id quod desideremus contineri vv. 323—28 hosque cum versibus nostris connecten-

---

[1]) Finem versus interpolatione resartum putat Usener praeter v. 742 etiam de vv. 710 et 729.

dos et coniungendos esse. Sententiam autem hanc esse: *Ne amicum reicias vilibus de causis, nam si amicorum vitia omnia aegre ferremus, omnino non invenirentur amici in genere humano. Hominibus enim vitia insita sunt ac semper hominum propria manebunt. Di autem ipsi nolunt punire delicta hominum omnia. Etenim si, Cyrne, Jupiter mortalibus propter omnia delicta irasceretur — omnia autem novit, consilia et facta — quotusquisque hominum salvus esset a poena divina?* Quod si recte conieci, non amplius unum distichon intercidisse videtur inter v. 328 et 897, cuius verba extrema exempli gratia ita conformo et cum insequentibus coniungo:

καὶ γὰρ ἄναξ Κρονίδης,
Κύρν', εἰ πάντ' ἄνδρεσσι καταθνητοῖς χαλέπαινεν κτλ.

Jam apparet, opinor, qua de causa sententiam meam de elegiis 323—28 et 897—900 protulerim. Nam quoniam utramque elegiam, cum nomine Cyrni notata sit, in numerum genuinarum referre licebat, fortasse supervacaneum legenti visum est copiose de nexu utriusque disputare. At cum v. 897 depravatus sit, potest eum quis ita restituere velle, ut nomen Cyrni eiciat. Hoc fieri posse Bergk respexit cum scriberet: *Quodsi statuis Κύρνε temere ex versu proximo priore repetitum, ita erit versus refingendus Ζεὺς εἰ πάντ' ἄνδρεσσι καταθνητοῖς χαλέπαινεν* etc. Nunc autem explicato qualis pristinus elegiarum fuisse videatur status, neminem iam spero nomen Cyrni v. 897 in dubium vocaturum esse.

Vv. 341—50 si cum 337—40 arcte coniungimus, ut unum carmen oriatur, praeclara opinor elegia efficitur poeta Megarensi digna. Sententiam prolatam, ut proprium est huius poetae, amplioribus verbis iterat atque, ut mihi quidem videtur, hac coniunctione vis indignationis et libidinis qua iniurias inimicorum ulcisci vult, vehementer crescit et augetur. Ne quem offendat quod cum Jupiter v. 337 tertia persona fuerit, 341 altera appellatur: ita leniter deflectere non magis a poeta alienum est, quam quod v. 349/50 scriptor oblitus esse videtur se v. 341 Jovem allocutum.

Porro post vv. 1183/4 vv. 367—70 subinde addere velim, id quod codices optimi suadent, cum *A* et *O* post v. 1184 versus 367 et 368 [1]) repetant. Qui connexus versuum libris traditus eo confirmatur quod hoc modo sensus aptissimus efficitur. Itaque Bergkium iniuria Brunckio, qui idem voluerat, existimo repugnavisse.

De vv. 659—66 denique Van der Meyio assentior qui illis versus 159/60 antecessisse non inscite coniecit (Stud. Theog. p. 46) [2]); idem v. 661 non sine probabilitate *καὶ πρῆξαι μέλλοντι* restituit.

Sed quamquam equidem certus sum de coniungendis vv. 323—28 et 897—900, 337—50, 1183/4 et 367—70, 159/60 et 659—66, quo connexu ad versus Cyrnianos multi novi adduntur, tamen non confido omnibus hoc me persuasisse lectoribus. Quibus ne iram moveam, cum supra quam minimo numero versuum eorumque certissimorum me contentum fore promiserim, satis habeo postulare ut vv. 355—60 et 87—92 singula carmina facere et haec in Cyrnianis numeranda concedatur.

Jam de eis versibus dicendum est per totam syllogam passim sparsis, qui spatio unius distichi sententiam continent ita, ut primo obtutu speciem sententiae perfectae et absolutae praebeant. Quae *ἐλεγεῖα*, quoniam saepius de iis sermo fiet, liceat pro brevitate mihi nomine ad hanc rem ficto m o n e l e g i a appellare. Fuerunt autem qui haec re vera carmina perfecta ducerent Theognidemque putarent monelegia talia composuisse, ut Leutsch et Hiller [3]). Contra fuerunt qui frustula et fragmenta carminum maiorum haberent velut Bergk [4]).

---

[1]) Versus 367 quin ea forma eligenda sit quam *A O* loco inferiore habent, post Usenerum (*Jahrb. f. kl. Phil.* 1878 p. 69) nemo iam dubitabit. Recte etiam de re Schaefer p. 18 sq. (nisi quod de particula *δέ* falso iudicat) et Crusius Philol. 1891 p. 536 not.

[2]) Adstipulatur illi van Herwerden animadvers. ad Theogn. p. 55.

[3]) Leutsch in Philol. XXX p. 129 sq. et 195 sq. Hiller l. c. p. 478.

[4]) Mus. Rhen. III p. 213.

Equidem ut non dicam de eis quae speciem fragmentorum aperte prae se ferunt, ea quae sententiam plenam continere videntur, maximam partem suspecta habeo. Nam quotiens carmina genuina Theognidis maioris ambitus lego, monelegia cum illis comparata vehementer discrepant, ut non videantur ab eodem poeta profecta esse posse. Quomodo autem rem iudicarem explicaremque, elegia quae v. 173—78 legitur, iter monstravit. Cuius elegiae versus 175 et 176 hac forma testes veteres exhibent:

χρὴ πενίην φεύγοντα καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον
ῥιπτεῖν, καὶ πετρέων, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.

Vix dubium esse potest quin lectio codicibus Theognideis tradita ἣν δὴ χρή etc. ad poetam ipsum redeat, altera forma ita orta sit, ut distichi quod summam sententiae contineret ex elegia evulsi, ut per se stare posset et plenam sententiam praeberet, initium mutatum sit. Rem autem ita mihi explico. Constat inter omnes poetae Megarensis elegias ut plenas sapientiae et optima vitae praecepta continentes apud Athenienses in summo honore fuisse, easdem praesertim in ludis ad pueros instituendos adhibitas. Ad usum autem commodiorem necesse est complures syllogas breviores ex opere poetae pleno esse excerpendo confectas, ex quibus florilegium nostrum conflatum hodie viri docti credunt. Atque cum unum excerptum alterum trahat, non dissimile veri est syllogas paulatim ad summam brevitatem redactas, scil. ex singulis elegiis singula quibus praecipue vis totius carminis contineretur disticha extracta esse, quo facilius praecepta tenerentur et edisci possent, extractaque in syllogam collecta. Hoc eo facilius fieri poterat quod Theognis plerumque in fine pentametri sententiam gravius incidit vel omnino concludit [1]).

---

[1]) De interpunctione post distichon cf. Langenum de disticho elegiaco p. 15 sq., 31 sq. et Rennerum *Ueber das Formelwesen im griech. Epos* etc. (Lips. 1872) p. 11. Sed non multum discriminis intercedere video inter poetas diversorum temporum. Prorsus perperam Langen

Versuum sequentium 179/80 confiteor sensum me non percipere. Quomodo enim paupertatem quisquam fugere potest per mare terrasque errans? De cura hoc dici poterat quae apud Horatium (carm. 2, 16, 21 sq. 3, 1, 37 sq. sat. 2, 7, 115) hominem per mare et terras sequitur, non de paupertate. Intelligo autem quid notio maris et terrae v. 179 sibi velit, cum versus 175 et 176 adspicio. Jam facere non possum quin vv. 179/80 suspectos habeam et putem aliquem sententiam elegiae totius uno disticho includere studentem non distichon genuinum desumpsisse, sed ex suo distichon novum composuisse eiusdem argumenti [1]) nomineque Cyrni ornasse, ut speciem Theognidei retineret [2]). Haec sententia mea eo mihi confirmatur quod vv. 117/8 eodem modo ex vv. 119—28 confecti esse videntur, scil. propriis, non Theognidis verbis ab eo conformati, qui gnomas Theognideas ad formam quam brevissimam, i. e. monelegia, redactas colligere vellet. Observanda est etiam forma distichi de quo agitur 117/8, quae est pessima et cui viri docti adhuc frustra mederi studuerint [3]).

Non aliter denique fortasse res se habet de monelegio 335/6 et elegia 401—406, quamobrem post v. 406 distichon vel disticha cum nomine Cyrni intercidisse conicio. Etiam hoc distichon, cuius pars altera ieiuna et vilis est, male et sine arte compositum est ut duo illa cetera.

Contra fundamento carminis Theognidei carent vv. 147/8 (cf. supra p. 13). Primus enim versus proverbium apud Graecos tritum continet quod etiam apud Phocylidem legebatur, alter nihili est neque nisi ad distichon explendum

---

vv. 237—54 ab Theognide abiudicat, quia bis sententia ad hexametrum sequentem transeat. Vide v. 64, 184, 1198, 22.

[1]) Adhibuit autem ille non suo tempore formulam homericam, cf. Renner *Formelwesen* p. 29 n. 9.

[2]) Contra vv. 181/2 malim putare ex alia Theognidis elegia similis atque 173—78 argumenti propriis poetae verbis extractos esse.

[3]) Etiam Hartung p. 261 distichon spurium iudicat. Sitzler artificiose vv. 179/80 in carmen antecedens, vv. 117/8 in carmen insequens inserere conatus est, hoc non sine sagacitate, illud male.

videtur fictus esse. Fuerunt enim qui quam plurima praecepta sapientiae et gnomas, quo maiorem auctoritatem haberent, ad Theognidem referre studerent, id quod disticho complendo et nomine Cyrni addendo facile effici poterat. Ita rem actam esse Usener [1]) mihi persuasit.

Sed iam subsistendum est. Si recte rem intelligo, quattuor sunt genera monelegiorum. Primum est distichorum eorum, quae non consilio excerpta, sed casu et iniquitate temporum ab carminibus totis abrepta sunt et sola de elegiis remanserunt, quamobrem genuina iudicanda sunt. Hoc valet imprimis in ea quorum condicio non ea integra sed frustula esse evincat ut 299/300:

οὐδεὶς δὴ φίλος εἶναι, ἐπὴν κακὸν ἀνδρὶ γένηται,
οὐδ' ᾧ κ'ἐκ γαστρός, Κύρνε, μιῆς γεγόνῃ [2]).

Vv. 539/40 ex carmine maiore esse nemo non videt. Porro vv. 819/20, 371/2, 655/6 consilio extracta esse nequeunt, cum res contineant ad personam Theognidis solam pertinentes, non sensum generalem habeant, propter quem excerpere cuiusquam interesse poterat. Porro ea disticha, in quibus vocum quae sunt *κακός, ἀγαθός, ἐσθλός, δειλός* vis ut ita dicam politica aperte conspicitur, apparet non in usum communem civium vel discipulorum posse ab Atheniensi quodam ad syllogam compingendam desumpta esse. Qui enim ille versus, quibus omnes virtutes in nobilibus solis positas dicatur, civibus popularibus ut plenos summae sapientiae commendare poterat [3])?

---

[1]) *Jahrb. f. klass. Phil.* 1878 p. 70.

[2]) Quamquam critici coniecturis sententiam et orationem integram restituere conati sunt. De formis doricis quas Bergk iniuria introducere studuit, recte iudicavit Clemm *Jahrb. f. klass. Phil.* 1883 p. 9 sq. — Ceterum de vv. cf. p. 63 sqq.

[3]) Me quidem iudice luce clarius est apud Theognidem genuinum voces *ἀγαθός* et *ἐσθλός* de nobilibus, *κακός* et *δειλός* de plebeiis fere ubique usurpari. Factiones his verbis significantur, ut apud auctorem libelli de civitate Atheniensium fieri videmus, quia oligarchis notio nobilium et bonorum in unum confluere videbatur. Non ita tamen res se habet, ut Theognis neminem de plebeiis bonis moribus esse posse crediderit. Vis

Cadit hoc in vv. 233/4; hos igitur censebimus fortuito ex carmine genuino Theognidis ereptos esse. Versuum denique 77/8 origo Theognidea testimonio Platonis confirmatur, nisi quis iam aetate philosophi collectiones illas monelegiorum extitisse putat, in quas etiam disticha libere conformata pervenerint.

Alterum genus, cuius exemplum supra vidimus 175/6, est distichorum quae ex elegiis exsecta sunt a quodam non nisi leviter mutata si opus erat, ut per se stare possent. Vv. 541/2 et 1103/4 ex una eademque elegia mihi tracti esse videntur plura superbiae exempla exhibente.

Tertium genus ita ortum putabamus, ut quidam uno disticho propriis verbis ficto argumentum totius elegiae exprimere studeret (179/80. 117/8. 335/6?). Hoc maxime ad ea pertinere arbitror quae propter formam neglegentiorem offensionem praebent. Ut vv. 333/4 hiatus post *ἄνδρα* offendit. Quamquam critici coniecturis emendare conati sunt; at *ἀνέρα* quod Hermann proposuit nunquam apud Theognidem legitur. Fortasse idem cadit in vv. 235/6 qui innumerabilia hominum doctorum conamina passi sunt. Ubi si coniectura sanandi recta via esset, maxime Herwerdenum secutus ita scriberem:

Οὐδὲν ἐπιπρέπει ἡμῖν ἅτ' (= quae) *ἀνδράσι σῳζομένοισιν,*
ἀλλ' ὅσα πάγχυ πόλει, Κύρνε, ἁλωσομένῃ.

Hiatus versu altero tolerabilis esset [1]).

illa politica verborum cum ex multis aliis elegiis elucet, tum maxime apparet ex vv. 34, 53—60, 183—92. Recte de hac re iudicant Welcker praef. p. XXI sqq. qui egregiam disputationem scripsit, Schneidewin p. 55, Sitzler p. 31, 32 (qui tamen nimis severe et anguste), Bergk *Griech. Lit.* II p. 323 c. adn. 91, Immisch p. 75, Cauer *Parteien und Politiker in Megara u. Athen* (*Stuttg.* 1890) p. 8. Adversantur argumentis magnam partem perversis usi Schoemann schediasma de Theognide, opp. IV p. 37, Hartung praef. p. 17 sqq., Hiller *Jahrb. f. klass. Phil.* 1881 p. 461 sq. (quem immerito sequitur Flach *Griech. Lyrik* p. 396) et *Jahresber. f. klass. Altert.* 1888 p. 138. Pravissima interpretatio carminum quae maximi ad rem momenti sunt ab Hillero prolata valde abhorret a more viri docti ceteroquin cauti et sagacis.

[1]) Herwerden animadvers. ad Theognidem p. 12.

Quarto denique generi ea monelegia attribuimus, quae cum ne argumentum quidem cum Theognide commune habeant, prorsus libere composita et nomine Cyrni addito fraude in Theognidea illata sunt. Haec igitur spuria sunt iudicanda velut 147/8. Mihi quidem magna suspicio movetur quotiens cum elegiis Theognidis genuinis comparo haec praecepta ieiuna ad unamque ut ita dicam crepidae formam conformata:

131/2: *Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι πατρὸς καὶ μητρὸς ἄμεινον*
ἔπλεθ', ὅτοις ὁσίη, Κύρνε, μέμηλε δίκη.

895/6: *Γνώμης δ'οὐδὲν ἄμεινον ἀνὴρ ἔχει αὐτὸς ἐν αὐτῷ.*
οὐδ' ἀγνωμοσύνης, Κύρν', ὀδυνηρότερον.

1223/4: *Οὐδέν, Κύρν', ὀργῆς ἀδικώτερον, ἣ τὸν ἔχοντα*
πημαίνει, θυμῷ δειλὰ χαριζομένη.

1225/6: *Οὐδέν, Κύρν', ἀγαθῆς γλυκερώτερόν ἐστι γυναικός.*
μάρτυς ἐγώ, σὺ δ' ἐμοὶ γίνου ἀληθοσύνης.

Cf. vv. 117/8 quorum supra originem edocuimus:

Κιβδήλου δ'ἀνδρὸς γνῶναι χαλεπώτερον οὐδέν,
Κύρν', οὐδ'εὐλαβίης ἐστὶ περὶ πλέονος.

Sed monelegia quae restant non audeo cum fiducia aliqua inter genera illa discribere cum res ambigua et anceps sit. Ne de illis quidem quae protuli exemplis adeo certus sum, num suo quodque generi tribuerim. Quamobrem praestare mihi videtur omnia monelegia in unum congregare et per se tractare ab elegiis Theognidis plenioribus seclusa. Ex horum distichorum grege ea quam supra fecimus carminum compositione disticha abierunt 87/8 et 359/60, accesserunt divisione elegiarum vv. 543/4.

Haec fere habebam de distichis monelegiis quae vocavi, nisi quod vv. 1161/2 qui sunt

Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσειν παισὶν ἄμεινον·
αἰτοῦσιν δ'ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδου

pauca verba requirunt. Hos enim cum vv. 409/10 q. s.

Οὐδένα ϑησαυρὸν παισὶν καιαϑήσῃ ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥτ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἕπεται

ita congruere ut utrumque distichon ab eodem poeta profectum esse non possit, iam a multis observatum est. Welcker, ut erat parodiarum captator, loco posteriore parodiam agnovit, ego cum Bergkio Usenero Schaefero [1]) versus 1161/2 ex prioribus fictos puto. Lectionis autem discrepantiam cum Bergkio et Schaefero hoc modo natam existimo: Versus casu deperditos cum quidam in libris corruptos reperiret, sive syllogarum concinnator fuit sive librarius, de suo supplevit atque pessime, ut gnoma inepta ab ingenioque Theognidis alienissima exstiterit.

Caput II.

Restat unum carmen Cyrni nomine insignitum, quod priusquam Theognidi vindicare liceat, disputatione opus est longiore, quam quidem capiti proprio reservavimus. Exstat enim in ἐλεγείων β inde a v. 1353 usque ad 1356. Hunc autem librum, quem notum est in solo Mutinensi servatum esse et a Bekkero demum in lucem prolatum, primus Welcker Theognidi abiudicavit, post eum multi alii viri docti, Hertzberg, Hartung, Rintelen, Nietzsche, Renner, van der Mey, van Herwerden, H. Schneidewin, Sitzler, Hiller, Couat, Flach, Corsenn, Schaefer [2]). De singulis hi in varias discedunt senten-

---

[1]) Bergk in ed. ad v. 1161; Usener l. c. p. 70 sq. Quamquam quod Usener coniectura effecit,

οὐδένα ϑησαυρὸν πραπίσιν καταϑήσῃ ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥ τ'ἀγαϑοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἄφενος

probare non possum. — Schaefer p. 19—22. Cf. Cauer Philol. 1891 p. 537 sq.

[2]) Welcker p. CII; Hertzberg in Prutzii *litterar. histor. Taschenbuch* 1845 p. 339 sq. et 361 sqq.; Hartung p. 24, 133, 286; Rintelen de

tias; plerique, ut van der Mey Hiller Couat Corsenn, si non totum librum, at maximam partem ab homine quodam profectam esse putant, qui ex sylloga Theognidis ea quae hodie exstat verbis, formulis dicendi, versibus totis vel dimidiatis passim ereptis et excerptis elegias illas amatorias compegerit, sive ludendi causa sive ut carmina Theognidis ex quibus hauserit in ridiculum verteret. Hoc parodiam vocant. Schneidewin autem collectionem concinnatam existimat ex elegiis Mimnermi, Solonis, Theognidis sinceris, carminibus quibusdam parodicis, versibus ab ipso syllogae confectore exiliter et ieiune factis. Contra Nietzsche libellum Mimnermi esse arbitratur; quem librum hominem Theognidis sapientiae laudi invidentem saeculo quinto p. Ch. ad syllogam adnexuisse ut poetae maculam amoris puerilis aspergeret. Hartung appendicem totam paucis versibus exceptis Eueno tribuit. Etiam de tempore confecti libri dissentiunt critici. Hertzberg aetati Alexandrinae vindicat, Couat aevo Byzantino, Hiller et Corsenn ante Alexandrinorum tempora ortum credunt.

Sunt contra qui de parodiis non cogitent quique eundem statum atque libri primi accipiant, scil. etiam librum β ab epitomatore ex syllogis Theognidis et aliorum poetarum antiquorum contractum, nonnulla certe Theognidis propria esse (1353—56), Solonis esse 1253/4 (etiam 1255/6?), vv. 1345—50 fortasse Eueni, cetera maximam partem a poeta Megarensi

---

Theognide Megarensi poeta (diss. inaug.), Monasterii 1863, p. 38 sqq.; Nietzsche in Mus. Rhen. XXII p. 176 sq., 180 sq, 185 sq.; Renner in Curtii *Studien zur griech. u. latein. Grammatik* I 1 p. 139; van der Mey studia Theognidea p. 28—39; van Herwerden animadversiones philol. ad Theognidem p. 14—17, add. p. 55; H. Schneidewin de syllogis Theognideis (diss. Argentinensis 1878) p. 36—41; Sitzler proll. p. 35; Hiller *Jahrb. f. kl. Phil.* 1881 p. 450, 470 sq., idem *Jahresber. f. klass. Altert.* 1888 p. 142 sq. et 156 sqq.; Couat *le second livre d'élégies attribué à Théognis* (*annales de la faculté des lettres de Bordeaux* V p. 257—290, *Bordeaux* 1883), contra eum Hiller *Jahresber.* 1883 p. 258 sq.; Flach *griech. Lyrik* p. 403; Corsenn quaestiones Theognideae, *Programm v. Geestemünde*, Lipsiae 1887; Schaefer de iteratis ap. Theog. distichis p. 4 sq. et 32 sqq.

profecta esse posse. Haec est sententia Bergkii, et ut videtur Dielsii[1]. De quaestione nos quid iudicemus hoc loco exponere libet, neque nimis breviter, ut adversariorum argumenta satis refellamus, neque nimis copiose, cum res paene propriam dissertationem quam nos vocare solemus desideret.

Una causa atque ea qua maxime adducti sunt critici, ut parodiam agnoscerent', est quod in libro altero verba, formulas, versus invenerint etiam in libro primo eadem vel simili forma exstantia. Quo in studio locorum similium colligendorum saepe modum concessum ita longe egressi sunt, ut nugari videantur. Velut quod in vv. 1247/8 condendis versus 325—27 exemplo fuisse Corsenn dicit (p. 7 et 37), iure mireris. Quid aliud commune nisi una vox *ἁμαρτωλή*? Et hanc plagiator ille proferre non poterat nisi ex loco illo sumptam? Ridiculum hoc.

Porro versus 11—14 van der Mey putat ab poeta illo in parodiam mutatos esse versibus 1327—30 (p. 34). Congruunt profecto vocativo in initio exstante et verbis *σοί—ἐμοί*. Sed haec similitudo fortuita est et tam levidensis, ut nemo omnino animadvertat nisi qui industria talia quaerit. Refutatur perversa viri docti opinio etiam eo quod vv. 1327/8 per se stare et vv. 1329 sq. novum carmen incipere manifestum est[2].

Idem criticus (p. 31) hominem 'spurcum' cum vv. 1231—34 pangeret, illum ignem quo arderet sibi persuasit 'ex Theognidis indignabundi' vv. 1103/4 et 541/2 petivisse q. s.

Ὕβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε καὶ Κολοφῶνα
καὶ Σμύρνην. πάντως, Κύρνε, καὶ ὔμμ' ἀπολεῖ

---

[1]) Bergk *Literaturgesch.* II p. 314 sq.; Diels in Hermae vol. 23 p. 283.

[2]) Quamquam etiam Hartung et Sitzler vv. 1327—34 iniuria in unum coniungunt. — Ceterum van Herwerden, qui ipse quoque librum spurium ducit, van der Meyium falso de parodia et illorum versuum origine ex vv. 11—14 petita iudicare dicit (p. 55). Negat etiam Corsenn (p. 40) vv. 11—14 exemplum esse; idem nimirum v. 1327 sq. ad vv. 1/2 et 1023/4 redire arbitratur.

et *Δειμαίνω, μὴ τήνδε πόλιν, Πολυπαΐδη, ὕβρις*
ἥπερ Κενταύρους ὠμοφάγους ὀλέσῃ.

In his morari operae pretium non est [1].

Ut iam exemplum adhibeamus, quod maiorem habet speciem, versus 1267—70

Παῖς τε καὶ ἵππος ὁμοῖον ἔχει νόον· οὔτε γὰρ ἵππος
ἡνίοχον κλαίει κείμενον ἐν κονίῃ,
ἀλλὰ τὸν ὕστερον ἄνδρα φέρει κριθαῖσι κορεσθείς·
ὡς δ' αὔτως καὶ παῖς τὸν παρεόντα φιλεῖ

van der Mey (p. 29) et Corsenn (p. 10 sq. et 37) parodiam agnoscunt versuum 1157—60

Πλοῦτος καὶ σοφίη θνητοῖς ἀμαχώτατον αἰεί·
οὔτε γὰρ ἂν πλούτου θυμὸν ὑπερκορέσαις·
ὡς δ' αὔτως σοφίην ὁ σοφώτατος οὐκ ἀποφεύγει,
ἀλλ' ἔραται, θυμὸν δ' οὐ δύναται τελέσαι.

Concedo universam formam sententiarum similem esse, quae tamen natura sententiarum ipsa explicatur. Namque cum altera versu primo comparationem habeat (1267) quae insequentibus quam vera esset demonstrandum erat, altera gnomam quae item illustrari debebat, facile fieri poterat ut verbis *οὔτε γάρ* explicatio daretur. Atque quod ad vocabula ipsa, quod poeta carminis amatorii verba *ὡς δ' αὔτως* initio versus ponit, hoc non habere debet ex v. 1159. Immo usitatum illud est apud poetas epicos quorum locis et formulis etiam poetae elegiaci utuntur [2]. Sed quod ante verba q. s. *ὡς δ' αὔτως* etiam forma verbi *κορέννυμι* utroque loco legitur, mero casui tribuendum est, unde nihil concludendum, praesertim cum verbum utroque loco de rebus diversis usurpetur. Itaque concedere non possum carmen de quo agitur esse

---

[1]) Van der Meyi sententiam iure reicit Corsenn p. 39.

[2]) Exempla vide apud Rennerum: *Über das Formelwesen im griechischen Epos und epische Reminiscenzen in der älteren griechischen Elegie*, Lips. 1872, p. 58 n. 9.

parodiam eius generis quale Corsenn statuit (p. 42), scil. imitationem, nedum parodiam propriae notionis, ut est sententia van der Meyi. Parodia enim fit, si verba auctoris nota ad rem alienam ita adhibentur ut risus legentium moveatur. Sed existimas poetam si vv. 1267 sqq. ita fecit, credidisse omnes carmen suum legentes loci illius Theognidei recordaturos? Atque carmen illud 1267—70 amatorium est, nihil aliud; ne minimum quidem ridiculi habet.

Gravissimum autem exemplum parodiae de quo ceteri non dubitant[1]), exstat v. 1349/50:

οὔτω μὴ θαύμαζε, Σιμωνίδη, οὕνεκα κἀγὼ
ἐξεδάμην καλοῦ παιδὸς ἔρωτι δαμείς.

Haec in fine elegiae posita dicunt dubium non esse quin expressa sint ex his carminum genuinorum versibus ultimis:

v. 25: *οὐδὲν θαυμαστόν, Πολυπαΐδη· οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεύς κτλ.*
et 191: *οὔτω μὴ θαύμαζε γένος, Πολυπαΐδη, ἀστῶν κτλ.*

Quid? Qui fieri potest ut utrumque locum scriptor appendicis imitatus sit? Non nisi alterutrum, opinor, scil. v. 191. Etenim si v. 191 ita exscripsit, ut speciem habet, non potest simul v. 25 respexisse. Praeterea versus 25 non adeo similis est. Si tamen in sententia sua adversarii perseverant, scil. locum simillimum esse, eo magis eos de ceteris errare sequitur. Quid enim? Si re vera bis Theognis carmen simili modo conclusit, itaque proprium quendam dicendi usum secutus est, quo tandem iure quis negat etiam tertium locum eiusdem poetae esse, immo necessario alii cuidam esse adscribendum? — Sed alterum locum (scil. v. 191) poeta libri β mihi imitatus esse videtur, quamquam si quis ita vult etiam Theognis imitator alterius esse potest. Verum si imitationem accipio, non magis vituperanda est illa, quam quod poeta Megarensis

---

[1]) Van der Mey p. 34 sq.; Hiller p. 477; Couat p. 281; Corsenn p. 20, 37, 43.

locos Hesiodeos expressit et Solonem imitatus est, Solon Tyrtaeum [1]). Sed utut res se habet, minime parodia est.

Ut hic paullum subsistamus, quo diutius et accuratius rem delibero, eo magis adversarios errare mihi persuadeo argumentisque uti quibus nihil demonstretur. Hoc praecipue valet de formulis epicis et elegiacis. Satis notum est elegiographos in carminibus componendis passim epicos sequi eisque quae in poesi epica per tot saecula usurpatae paene obduruerunt formulis uti, praecipue in hexametro. Egregie autem de sermone epico exemplisque eius apud elegiographos exstantibus egit Renner libro supra commemorato (p. 26 adn. 2); praeterea rem bene tractavit Kuellenberg in dissert. q. i. 'de imitatione Theognidea' (Argentorati 1877). Deinde observare licet, neque quemquam qui poesi elegiacae operam dederit hoc effugisse opinor, apud poetas elegiacos item atque apud epicos paulatim certum usum dicendi, elocutionem, electionem verborum et collocationem, praesertim in pentametro ut natura ferebat, orta esse quae alter ab altero susceperit. Hac de re multa utilia attulit idem Kuellenberg, praecipue p. 49 sqq. Quae cum ita sint, si in appendice permagnus invenitur numerus locorum et formularum quae etsi etiam in collectione nostra maiore monstrari possunt, tamen creberrime etiam leguntur apud Homerum et epicos, Mimnermum, Solonem, alios elegiarum scriptores, dubium non est quin his locis demonstrari non possit auctorem appendicis librum primum Theognidis qualis nunc exstat, ante oculos habuisse debere. Atque hoc maxime Corsenno vitio tribuendum, qui cum in prima parte dissertationis suae (p. 4—24) praeter ea quae Rennero et Kuellenbergio debet ipse quoque multa alia similia vel congruentia magna industria collegerit, quamquam excusat non omnia quae congesserit plagiatori exemplo fuisse sese credere, tamen locis collectis ad illam rem utatur.

---

[1]) Ut Theogn. 1197 sqq. = Hes. op. 448 sqq.; Theog. 133—42 = Sol. 13, 65 sqq.; Theog. 39—42, 43 sqq. = Sol. 4, 1—11.

Exempli gratia affero vv. 1299 et 1355, ubi item ac v. 329 vox q. e. *διώκων* in versu exeunte reperitur (Corsenn p. 14, 15, 21). At ipse Corsenn ad Rennerum relegat (p. 66 n. 64), qui poetas epicos formas *διώκων*, *διώκειν* etc. paene semper in fine versus posuisse monstret. Apparet igitur hoc exemplum ad quaestionem nostram nihil valere, immo poetam versuum 1299 et 1355 nihil fecisse nisi quod exspectandum fuerit, ergo non v. 329 imitatum esse. Quamobrem vitiose mihi vir doctus egisse videtur, quod talia ad versus nostros adscripsit. Etenim quaestio difficilis iudicatu his magis obscuratur atque confunditur quam explicatur.

Neque secus est de verbis *κεῖσθαι* [1]), *πείθειν* [2]), *ἀπατᾶν* [3]) aliis, quae saepe hanc versus sedem occupent.

Idem valet de substantivis quibusdam, ex quibus si colligis poetam illum ex farragine libri primi hausisse pravissime iudices. Ut quamquam concedendum est praeter vv. 1256 et 1324 vocem *εὐφροσύνη* etiam in libro *α* legi vv. 776 et 1068 in fine pentametri [4]), tamen imitatio non est. Occurrit enim eadem vox apud Sol. 26, 2 et Anacreontem 94, 4 eadem versus sede. Omnino, et hac re omnis illa suspicio tollitur, verba in *υνη* exeuntia saepissime a poetis elegiacis ibi poni videmus. Ut etiam nostros thesauros aperiamus ut adversarii, *δουλοσύνη* occurrit in fine pentametri apud Solonem 4, 18; 11, 4, Theogn. 1214, Simon. Ceum 101, 2; *παλαισμοσύνη* apud Tyrt. 12, 2 et Xenophanem 2, 16; *ἀληθοσύνη* ap. Theogn. 1226; *φιλοφροσύνη* habet Jon 2, 8; *σωφροσύνη* Theogn. 1326, Simon C. 115, 4, Critias 2, 22, Crates 2, 2; *ἀφροσύνη* Sol. 13, 70 (= Theogn. 590), Theogn. 230 (= Sol. 13, 74?), Menand. v. 2 (Bergk. p. 375); *φιλημοσύνη* Theog. 284; *πολυ-*

---

[1]) 1259; 19; 421; 685. Corsenn p. 9.

[2]) *οὐδέ με πείσεις* v. 1363 et 839. Corsenn p. 22. Vide Rennerum p. 36 n. 49.

[3]) 1285; 143; 1037; 1219. Renner p. 67 n. 71 (Corsenn hoc exemplum omisit).

[4]) Corsenn p. 9, qui quidem hic non aperte de imitatione loquitur.

φροσύνη Theog. 712; ἀπημοσύνη Theog. 758; ἐπιφροσύνη Theog. 1100; ἱπποσύνη Sim. C. 108, 2 [1]).

Fortasse eum qui haec legit, offendit haec abundantia mea, ubi pauca exempla satis esse putes. Neque vero hoc sine causa facio. Iam enim quasi ex angusto sinu Theognideo nobis videmur in mare altum provecti esse et litora non iam conspicere. Intelligimus illud de quo agimus proprium esse omnium elegiographorum; quo magis illorum sententia redarguitur qui poetam nostrum furti insimulant.

Adhibeamus iam nonnullas verborum compositiones. Versus 1323—26 Couat parodiam habet versuum 1119—22 [2]). In utroque carmine poetam videmus votum facere, deos invocare, verbis *μέτρ' ἥβης* vel *ἥβης μέτρον* uti. At qui non praeoccupata mente ad rem iudicandam aggreditur, concedet similitudinem vix esse nisi verborum, argumenta tam dissimilia esse ut de imitatione cogitari non possit. Atque verba q. s. *μέτρα ἥβης*, quae ansam suspicionis dederunt, usitatissima sunt, quae quivis poeta in suum usum vocare potuerit. Cf. Hom. *Δ* 225 *αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἥβης ἐρικυδέος ἵκετο μέτρον*, *λ* 317, *σ* 217, *τ* 532 *ἥβης μέτρον ἵκοντο, ἱκάνεις, ἱκάνει*; hymn. in Cer. 166 et 221; Hes. op. 132 et 438, fr. 100, 2 Rzach.; Kaibel. epigramm. graec. 193, 3 *εἰς μέτρα ϑ' ἥ[β]ης ὡς ἀνη[γ]όμην*; Eurip. Jon 354 *σοὶ ταὔτ' ἂν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχεν μέτρα* [3]).

In elegia Cyrno dicata v. 1356 legitur *πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον* [4]). Haec verba vel similia occurrunt v 210 (*π.*) *τ. α.*, 124 et 258 *τ. α.*, 812 (*πάντων,*) *Κύρν', ἀνιηρότατον*, 896

[1]) Vide Kuellenbergium p. 52 sq.

[2]) Couat p. 264: '*au vers 1326 le pluriel μέτρ' ἥβης τελέσαι est une mauvaise imitation du vers 1119 de Théognis ἥβης μέτρον ἔχοιμι*'. At pluralis ipse te revincit, imitationem non esse. Poetae enim antiquiores habent *μέτρον*, hic, Euripides, auctor epigrammatis ap. Kaibel. *μέτρα*. Quae res quae poetam nostrum recentiori aetati vindicare videtur, tamen nobis non obstat qui librum ex carminibus diversorum elegiographorum compositum putemus.

[3]) Renner p. 48, 101 d.

[4]) Van der Mey p. 19, cf. Corsenn p. 21.

Κύρν', ὀδυνηρότερον. Addo haec idonea quae comparentur: Tyrt. 10, 4 (*πάντων*) *ἔστ' ἀνιηρότατον*; Callim. epigr. 14, 4 Wilam. *χρῆμ' ἀνιηρότερον*; Cleobulina 2, 2 *τοῦτο δικαιότατον*; Sol. 12, 2 (*πάντων*) *ἐστὶ δικαιοτάτη*; Callim. 32, 4 *τοῦτ' ἀνεραστότατον*, omnia in altero colo pentametri [1]). Quid? ex tribus exemplis quae nomine Cyrni ornata Theognidi ipsi tribuenda sunt (124, 812, 896), nonne apparet ei qui ter verba illa iteraverit, etiam quartum adhibere licuisse? Quo iure igitur v. 1356 non ab eodem poeta proficisci posse affirmas et per parodiam dictum esse? Quia, inquis, quamquam per se licebat repetere, non de re seria et gravi repetuntur, sed de re levi. Sed hic tuus error est, carmina amorem puerilem continentia res leviores et ludicras appellare. Si quis oculis ut ita dicam hominum recentiorum rem cernit, omnino de tota quaestione ne audeat iudicare. Quid, quod formulam illam non solum in collectione nostra corrupta Theognidea exstare videmus, sed etiam apud alios poetas elegiacos? Eo magis opinor hominibus ieiuna mente iudicantibus certum erit poetam nostrum illa non ex libro *α* desumpsisse.

Maioris iam momenti videtur esse quod etiam toti versus repetuntur. Compara vv. 1237/8

ἀλλὰ τλῆθι νόῳ συνιεῖν ἔπος· οὔ τοι ἀνάγκη
τοῦθ' ἔρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ

cum vv. 1085/6

Δημῶναξ, σοὶ πολλὰ φέρειν βαρύ· οὐ γὰρ ἐπίστῃ
τοῦθ' ἔρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ

et 1095/6

σκέπτεο δὴ νῦν ἄλλον, ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη
τοῦθ' ἔρδειν· τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο [2]).

Sed vide etiam haec:

540 = 554 *εἰ μὴ ἐμὴν γνώμην ἐξαπατῶσι θεοί,*
128 *πολλάκι γάρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι.*

---

[1]) Vide Kuellenbergium p. 51 sq.
[2]) Vid. van der Meyium p. 32, Corsennum p. 5 et 37, Schaeferum p. 4.

Omnes hi tres versus in elegiis ad Cyrnum scriptis leguntur. Iam hic haeret aqua. Nam materiam difficilem tetigimus plenamque periculi, repetitiones, de quibus confidenter et certo iudicare non licet [1]). Atque si hoc Theognidi in libro primo permissum erat — quod equidem non dubito — qui potest quis affirmare eum qui in libro β versum τοῦϑ' ἕρδειν κ. τ. λ. iteraverit Theognidem esse non posse? Itaque sententiae illorum accedere nequeo.

At versus 1117/8

Πλοῦτε, ϑεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίνεται ἐσϑλὸς ἀνήρ

manifestum est plagiatori materiam dedisse parodiae quae vv. 1365/6 exstet [2]):

Ὦ παίδων κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
στῆϑ' αὐτοῦ καί μου παῦρ' ἐπάκουσον ἔπη.

Persuasum igitur habent illi Plutum deum iure et vi propria omnium pulcherrimum et amoenissimum appellari potuisse, non puerum amatum, ita ut v. 1365 imitationem esse necesse sit. Equidem contrarium crediderim, scil hoc de ἐρωμένῳ apte dici, de Pluto non nisi translate et auctorem versus 1117 locum poetae alius spectare. Itaque aut v. 1117 parodia est versus inferioris 1365 aut scriptor uterque poetam tertium antiquiorem imitatus est.

Neque aliter res se habet de vv. 1353 et 301 [3]). Praeclarum enim sensum praebere versus loco inferiore quis neget? Scil. simul dulcem et amarum esse amorem, illecebrarum plenum et duritiae, dum voti compos fiat. Contra

[1]) Egerunt de his Schaefer in libello suo de iteratis ap. Theog. distichis et Cauer in Philol. 1891 p. 529 sqq. Schaefer versus illos quidem 128, 540, 554 in formularum numero habendos merito putat p. 4.

[2]) Rintelen p. 39; van der Mey p. 35; Corsenn p. 22 et 37; Schaefer p. 4 sq. Cf. Rennerum p. 21 n. 39.

[3]) Welcker p 60; Rintelen p. 39; van der Mey p. 35; Couat p. 278 sq.; Corsenn p. 21, 29, 37, 43; Schaefer p. 33.

vv. 301/2 praeceptum dant sapientiae tam divinae, ut ego me non perspicere fatear. Namque ut verba de servis et operis aliquo modo intelligi possunt, ita non de vicinis quos poeta acerbe et comiter tractari iubet. Hoc et quod vocem q. e. ἀρπαλέος primitus in locum inferiorem, non superiorem scriptam apparet, me movent ut vv. 301/2 parodiam esse versuum libri β, non vicissim, pro certo affirmem [1].

Ut breviter quae adhuc statuimus colligamus, quoscumque locos similes contemplati sumus, opinio illa de imitatione et parodia vana deprensa est. Dices: de singulis locis fortasse concedam, sed summam respicere oportet, atque librum totum locis scatere qui legenti librum primum in mentem revocent non negabis. At nihil inde sequitur. Similitudo enim quam habet appendix cum libro α, non maior est quam quae in libro primo ipso inter permultos locos intercedit. Quod autem omnino similitudo libro β cum priore intercedens cernitur, casu factum est et iniquitate temporum, qua permagnus numerus versuum Theognideorum nobis servatus est, non item Callini, Archilochi, Tyrtaei, Mimnermi, Solonis. Quos poetas si integros in manibus haberemus aut saltem maiorem partem versuum, non dubito quin numerus locorum similium et congruentium quasi in immensum augeretur et omnis illa falsa opinio tolleretur.

Altera causa qua adversarii sententiam suam confirmari arbitrantur, est quod disticha tota libri primi, si quae in ἐλεγείων β repetuntur [2], ita collocata esse videantur, ut in sensum eroticum accipienda sint, cum eis primitus nihil erotici insit; unde magis elucere appendicem opus esse unius viri qui syllogam nostram primam in manibus habuerit. Ut Hiller [3]) poetam putat cum vv. 1101/2 post vv. 1275 – 78 ite-

---

[1]) Haec etiam Hartungii sententia est (ad v. 301).

[2]) Disticha in libro β iterata collecta habes apud Schneidewinum l. c. p. 37. Cf. Corsenn p. 35—37, Schaefer p. 33 sqq., Cauer Phil. 1891 p. 542 sqq.

[3]) *Jahrb. f. klass. Phil.* 1881 p. 450.

raret, clausulam huius elegiae esse voluisse. Habes igitur hoc poema:

Ὡραῖος καὶ Ἔρως ἐπιτέλλεται, ἡνίκα περ γῆ
ἄνθεσιν εἰαρινοῖς θάλλει ἀεξομένη,
τῆμος Ἔρως προλιπὼν Κύπρον, περικαλλέα νῆσον,
εἶσιν ἐπ' ἀνθρώπους σπέρμα φέρων κατὰ γῆς,
ὅστις σοι βούλευσεν ἐμεῦ πέρι καὶ σ' ἐκέλευσεν
οἴχεσθαι προλιπόνθ' ἡμετέρην φιλίην.

At hoc poema tam ineptum et miserum est, quale auctor appendicis nunquam commisit. Doleo igitur me Hillero assentiri non posse. Immo cum Bergkio distichon arbitror fragmentum esse elegiae nunc amissae idemque antiquitus in libro β locum habuisse, unde in librum α translatum.

Item omni probabilitate caret versus 1107/8 ab auctore musae puerilis versibus 1311—18 ut finem adnexos esse. Namque carmen antecedens v. 1318 ita absolutum esse manifestum, ut distichon 1107/8 nullo modo cum eis coniungi possit.

Neque de vv. 949/50 ante vv. 1279—82 repetitis, q. s.

Νεβρὸν ὑπὲξ ἐλάφοιο λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθὼς
ποσσὶ καταιμάρψας αἵματος οὐκ ἔπιον,

quos Hiller plagiatori initium carminis insequentis fecisse arbitratur, res ita se habet, quamquam illud primo obtutu speciem quandam habet. Poeta enim amatorius si illud fecisset, sine dubio distichon non per se solum collocasset, sed cum versibus insequentibus in unum carmen conglutinasset. Neque vero prorsus apte coniungi potest, quod etiam Hiller sensisse videtur, cum in Anthologiae lyr. editione quarta a se curata versus 1278 c, d cum 1279 sqq. connectere ausus non sit.

Vv. 1151/2 denique documento sunt quam perversa argumentandi ratione parodiarum captatores utantur. Redeunt enim in libro altero ante v. 1239 sqq., ita tamen ut arctissimo vinculo cum illis coniungi et elegiam unam integramque facere

nemo neget. Duplici modo autem mea quidem sententia haec res explicari potest. Accusatores illi nimirum furem insimulant versus ex libro primo sumptos in suum usum vertisse cum parodiam suam scriberet [1]). Nos contra in libro altero pristinam carminis integri formam adhuc servatam nobis persuasimus, distichon syllogae maioris fragmentum nostri poematii esse. Sic fere Bergk ad v. 1239; facit autem cum nobis et unus ex adversariis, Rintelen (p. 41), qui distichon *πολλάκι τοι πὰρ ἐμοί κτλ.* in libro *α* temere omissum concludit [2]). Quem sodalem Hiller reicere conatur cum illum naturam atque indolem libri alterius non recte perspicere dicit. At hoc demonstrandum erat, librum ex parodiis constare; quodsi hanc sententiam sequentes illud argumentum afferunt, si porro docetur argumentum esse anceps quod etiam in contrariam partem verti possit, quam perversum est tum verba talia facere qualia Hiller! Nonne hoc est in circulo se versare?

Uno verbo moneam v. 1262 eiusdem libri similem esse vel eundem atque 1239 b. Quod licere iam supra (p. 31 sq. ad v. 1238) opinor vidimus [3]). Quibus expositis nihil nos impedit quominus contra repetitionibus ad nostram de origine appendicis sententiam stabiliendam utamur. Putamus enim ab eodem qui collectionem maiorem concinnaverit, et librum *α* et librum *β* ex eisdem syllogis antiquioribus excerpendo

---

[1]) Mey p. 30; Corsenn p. 6 et 37; Schaefer p. 36.

[2]) Cf. Schneidewinum p. 19 et 37.

[3]) Cf. Simon. C. 92, 2 (*κείνων*) *ῥήμασι πειθόμενοι;* Sol. 4, 6 *χρήμασι πειθόμενοι;* Theog. 194 *χρήμασι πειθόμενος;* Sol. 4, 11 (*ἀδίκοις*) *ἔργμασι πειθόμενοι,* id. 13, 12 (*ἀδίκοις*) *ἔργμασι πειθόμενος;* Theog. 380 (*ἀδίκοις*) *ἔργμασι πειθομένων;* Theog. 948 (*ἀδίκοις*) *ἀνδράσι πειθόμενος;* Simon. 140, 2 *λήματι πειθόμενοι;* Theog. 756 *σώφρονι πειθόμενος.* — Similia sunt in altera pentametri parte Theog. 920 *γαστρὶ χαριζόμενος,* ibid. 774 *παιδὶ χαριζόμενος;* Simon. 123, 4 *παισὶ χαριζόμενος;* 85, 14 *τλῆθι χαριζόμενος.* — *θεοῖσιν ἐπευχόμενος* Theog. 358 et 944, *θεοῖσιν ἐπευξάμενος* 1116. Exempla cum participio *ἐπιστάμενος* habes Archil. 1, 2; Sol. 13, 52; Theog. 564, 652, 772; Aeschyl. 4, 4 Bergk.; Philetas ap. Stob. flor. 81, 4 v. 4 (vide Kuellenberg. p. 53).

factum esse[1]), quo in negotio non semel illum distichi iam supra positi immemorem distichon inferiore loco iterum dedisse.

Veniamus ad tertiam causam ab istis prolatam. Testimoniis veterum scriptorum elucere dicunt alienos esse a poeta Megarensi cum ceteros versus amatorios, tum maxime eos qui libro altero contineantur[2]). Longam enim seriem testium inde ab auctore libri *περὶ Θεόγνιδος* et Isocrate usque ad Suidam[3]) producunt, apud quos ubi Theognidis commemoratio fiat, praesertim ut viri sapientis et optimi vitae praeceptoris, ita comparatam esse, ut illa sane non dicturi fuerint, si disticha obscoena novissent. Maxime hoc demonstrari testimoniis Athenaei et Stobaei qui, facultate data versus eroticos afferendi, nostros non citent. Haec cum eadem via sit argumentandi qua utuntur qui syllogam maiorem circa Stobaei tempora vel postea ortam credunt, illi pro me verba faciant qui collectionem aetati Alexandrinis superiori vindicant. Vide quae exposuerunt Hiller *Jahrb. f. Phil.* p. 468 sq. et Bergk p. 315 not. 71. Nos pauca addamus. Scriptoribus recentibus re vera non nisi librum primum praesto fuisse existimamus et rem ita actam esse animo nobis informamus: sylloga ab homine ignoto confecta librorum duorum cum identidem descripta esset, quendam de causa perspicua librum *β* omisisse; inde duo exempla describendo propagata esse, unum *ἐλεγείων α* solum exhibens, alterum libros *α* et *β*. Hoc, ut natura materiae ferebat, magis magisque evanuisse et mero casu nobis unum exemplum servatum, cod. Mutinensem[4]). Contra priores ut Isocratem alios, qui Theognidem integrum habebant aut anthologias carminum

---

[1]) Cf. Bergk *Literaturgesch.* II p. 314.

[2]) Sunt hi: Welcker p. LXXI sqq.; Nietzsche p. 180 sqq.; H. Schneidewin p. 40; Sitzler p. 20—22; Couat p. 270 sqq.; Flach p. 403; Corsenn p. 3 et 44.

[3]) Suidam *ἐλεγείων β* videri novisse Schneidewin comprobat p. 41 (assentitur Flach not. 2, qui tamen mira loquitur), non novisse credit Couat.

[4]) De casu cf. Hillerum l. c. p. 471.

eius diversas. ex quibus postea nostrae syllogae contractae sunt. animadvertisse puto Theognidem ab amore puerorum non alienum esse neque tamen rem commemoratione dignam duxisse aut inde laudi poetae quicquam detractum. Apud Atticos enim tum vitium illud sollemne erat neque in infamia habebatur, quod demonstrant vasa fictilia et scripta Platonis cum alia tum Phaedrus et Convivium [1]). Utut de his iudicabitur, nos hoc iuris nobis sumimus ex Theognide ipso colligendi qualis fuerit: revocamus igitur ad ea quae supra explicavimus p. 7.

Reliquum est, ut sermonem poetae nostri vel poetarum paucis verbis tangamus. Fuerunt enim qui sibi formas et verba posteriorum temporum propria in appendice detexisse viderentur. Herwerdenum dico (p. 14 et 15), cuius crimina non magni momenti sunt quaeque Corsenn (p. 31 sq.) iure reiecit, et Conatium (in notis versioni additis), quem item argumentis satis gravibus Hiller [2]) reppulisse mihi visus est. Contra Hiller [3]) et Corsenn sermonem simplicem et dilucidum, elocutionem elegantia non carentem, imitationes sermonis epici late patentes indicia satis magna esse docent, quibus appendicem ante Alexandrinorum tempora conditam evincatur. Confer etiam quas Corsenn de arte poetae versuum componendorum et legibus metricis diligenter servatis observationes congessit p. 32—35.

Unam autem ex rebus metricis quam ille omisit, hic breviter tractare liceat, usum positionis debilis. Hac re enim poetae antiqui ab inferioribus maxime discrepare solent. In vocali autem natura brevi ante mutam cum liquida corripienda quid poetae diversorum temporum sibi permiserint, optime disci potest ex Goebelii dissertatione q. i. 'de cor-

---

[1]) Eiusmodi loci legenti passim se offerunt, ut in Menone 76 *B*. Qui enim fieri posset ut iuvenis hunc iocum aequo animo ferret nisi talia vulgaria fuissent et quasi in aëre versantia?

[2]) *Jahresber. f. klass. Altert.* 1883 p. 259.

[3]) *Jahrbüch. f. klass. Phil.* 1881 p. 471.

Equidem ut non dicam de eis quae speciem fragmentorum aperte prae se ferunt, ea quae sententiam plenam continere videntur, maximam partem suspecta habeo. Nam quotiens carmina genuina Theognidis maioris ambitus lego, monelegia cum illis comparata vehementer discrepant, ut non videantur ab eodem poeta profecta esse posse. Quomodo autem rem iudicarem explicaremque, elegia quae v. 173—78 legitur, iter monstravit. Cuius elegiae versus 175 et 176 hac forma testes veteres exhibent:

χρὴ πενίην φεύγοντα καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον
ῥιπτεῖν, καὶ πετρέων, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.

Vix dubium esse potest quin lectio codicibus Theognideis tradita ἣν δὴ χρή etc. ad poetam ipsum redeat, altera forma ita orta sit, ut distichi quod summam sententiae contineret ex elegia evulsi, ut per se stare posset et plenam sententiam praeberet, initium mutatum sit. Rem autem ita mihi explico. Constat inter omnes poetae Megarensis elegias ut plenas sapientiae et optima vitae praecepta continentes apud Athenienses in summo honore fuisse, easdem praesertim in ludis ad pueros instituendos adhibitas. Ad usum autem commodiorem necesse est complures syllogas breviores ex opere poetae pleno esse excerpendo confectas, ex quibus florilegium nostrum conflatum hodie viri docti credunt. Atque cum unum excerptum alterum trahat, non dissimile veri est syllogas paulatim ad summam brevitatem redactas, scil. ex singulis elegiis singula quibus praecipue vis totius carminis contineretur disticha extracta esse, quo facilius praecepta tenerentur et edisci possent, extractaque in syllogam collecta. Hoc eo facilius fieri poterat quod Theognis plerumque in fine pentametri sententiam gravius incidit vel omnino concludit [1]).

[1]) De interpunctione post distichon cf. Langenum de disticho elegiaco p. 15 sq., 31 sq. et Rennerum *Ueber das Formelwesen im griech. Epos* etc. (Lips. 1872) p. 11. Sed non multum discriminis intercedere video inter poetas diversorum temporum. Prorsus perperam Langen

Versuum sequentium 179/80 confiteor sensum me non percipere. Quomodo enim paupertatem quisquam fugere potest per mare terrasque errans? De cura hoc dici poterat quae apud Horatium (carm. 2, 16, 21 sq. 3, 1, 37 sq. sat. 2, 7, 115) hominem per mare et terras sequitur, non de paupertate. Intelligo autem quid notio maris et terrae v. 179 sibi velit, cum versus 175 et 176 adspicio. Jam facere non possum quin vv. 179/80 suspectos habeam et putem aliquem sententiam elegiae totius uno disticho includere studentem non distichon genuinum desumpsisse, sed ex suo distichon novum composuisse eiusdem argumenti [1]) nomineque Cyrni ornasse, ut speciem Theognidei retineret [2]). Haec sententia mea eo mihi confirmatur quod vv. 117/8 eodem modo ex vv. 119—28 confecti esse videntur, scil. propriis, non Theognidis verbis ab eo conformati, qui gnomas Theognideas ad formam quam brevissimam, i. e. monelegia, redactas colligere vellet. Observanda est etiam forma distichi de quo agitur 117/8, quae est pessima et cui viri docti adhuc frustra mederi studuerint [3]).

Non aliter denique fortasse res se habet de monelegio 335/6 et elegia 401—406, quamobrem post v. 406 distichon vel disticha cum nomine Cyrni intercidisse conicio. Etiam hoc distichon, cuius pars altera ieiuna et vilis est, male et sine arte compositum est ut duo illa cetera.

Contra fundamento carminis Theognidei carent vv. 147/8 (cf. supra p. 13). Primus enim versus proverbium apud Graecos tritum continet quod etiam apud Phocylidem legebatur, alter nihili est neque nisi ad distichon explendum

---

vv. 237—54 ab Theognide abiudicat, quia bis sententia ad hexametrum sequentem transeat. Vide v. 64, 184, 1198, 22.

[1]) Adhibuit autem ille non suo tempore formulam homericam, cf. Renner *Formelwesen* p. 29 n. 9.

[2]) Contra vv. 181/2 malim putare ex alia Theognidis elegia similis atque 173—78 argumenti propriis poetae verbis extractos esse.

[3]) Etiam Hartung p. 261 distichon spurium iudicat. Sitzler artificiose vv. 179/80 in carmen antecedens, vv. 117/8 in carmen insequens inserere conatus est, hoc non sine sagacitate, illud male.

videtur fictus esse. Fuerunt enim qui quam plurima praecepta sapientiae et gnomas, quo maiorem auctoritatem haberent, ad Theognidem referre studerent, id quod disticho complendo et nomine Cyrni addendo facile effici poterat. Ita rem actam esse Usener [1]) mihi persuasit.

Sed iam subsistendum est. Si recte rem intelligo, quattuor sunt genera monelegiorum. Primum est distichorum eorum, quae non consilio excerpta, sed casu et iniquitate temporum ab carminibus totis abrepta sunt et sola de elegiis remanserunt, quamobrem genuina iudicanda sunt. Hoc valet imprimis in ea quorum condicio non ea integra sed frustula esse evincat ut 299/300:

οὐδεὶς δὴ φίλος εἶναι, ἐπὴν κακὸν ἀνδρὶ γένηται,
οὐδ' ᾧ κ'ἐκ γαστρός, Κύρνε, μιῆς γεγόνῃ [2]).

Vv. 539/40 ex carmine maiore esse nemo non videt. Porro vv. 819/20, 371/2, 655/6 consilio extracta esse nequeunt, cum res contineant ad personam Theognidis solam pertinentes, non sensum generalem habeant, propter quem excerpere cuiusquam interesse poterat. Porro ea disticha, in quibus vocum quae sunt *κακός, ἀγαθός, ἐσθλός, δειλός* vis ut ita dicam politica aperte conspicitur, apparet non in usum communem civium vel discipulorum posse ab Atheniensi quodam ad syllogam compingendam desumpta esse. Qui enim ille versus, quibus omnes virtutes in nobilibus solis positas dicatur, civibus popularibus ut plenos summae sapientiae commendare poterat [3])?

---

[1]) *Jahrb. f. klass. Phil.* 1878 p. 70.

[2]) Quamquam critici coniecturis sententiam et orationem integram restituere conati sunt. De formis doricis quas Bergk iniuria introducere studuit, recte iudicavit Clemm *Jahrb. f. klass. Phil.* 1883 p. 9 sq. — Ceterum de vv. cf. p. 63 sqq.

[3]) Me quidem iudice luce clarius est apud Theognidem genuinum voces *ἀγαθός* et *ἐσθλός* de nobilibus, *κακός* et *δειλός* de plebeiis fere ubique usurpari. Factiones his verbis significantur, ut apud auctorem libelli de civitate Atheniensium fieri videmus, quia oligarchis notio nobilium et bonorum in unum confluere videbatur. Non ita tamen res se habet, ut Theognis neminem de plebeiis bonis moribus esse posse crediderit. Vis

Cadit hoc in vv. 233/4; hos igitur censebimus fortuito ex carmine genuino Theognidis ereptos esse. Versuum denique 77/8 origo Theognidea testimonio Platonis confirmatur, nisi quis iam aetate philosophi collectiones illas monelegiorum extitisse putat, in quas etiam disticha libere conformata pervenerint.

Alterum genus, cuius exemplum supra vidimus 175/6, est distichorum quae ex elegiis exsecta sunt a quodam non nisi leviter mutata si opus erat, ut per se stare possent. Vv. 541/2 et 1103/4 ex una eademque elegia mihi tracti esse videntur plura superbiae exempla exhibente.

Tertium genus ita ortum putabamus, ut quidam uno disticho propriis verbis ficto argumentum totius elegiae exprimere studeret (179/80. 117/8. 335/6?). Hoc maxime ad ea pertinere arbitror quae propter formam neglegentiorem offensionem praebent. Ut vv. 333/4 hiatus post *ἄνδρα* offendit. Quamquam critici coniecturis emendare conati sunt; at *ἀνέρα* quod Hermann proposuit nunquam apud Theognidem legitur. Fortasse idem cadit in vv. 235/6 qui innumerabilia hominum doctorum conamina passi sunt. Ubi si coniectura sanandi recta via esset, maxime Herwerdenum secutus ita scriberem:

Οὐδὲν ἐπιπρέπει ἡμῖν ἅτ' (= quae) *ἀνδράσι σῳζομένοισιν,*
ἀλλ' ὅσα πάγχυ πόλει, Κύρνε, ἁλωσομένῃ.

Hiatus versu altero tolerabilis esset [1]).

illa politica verborum cum ex multis aliis elegiis elucet, tum maxime apparet ex vv. 34, 53—60, 183—92. Recte de hac re iudicant Welcker praef. p. XXI sqq. qui egregiam disputationem scripsit, Schneidewin p. 55, Sitzler p. 31, 32 (qui tamen nimis severe et anguste), Bergk *Griech. Lit.* II p. 323 c. adn. 91, Immisch p. 75, Cauer *Parteien und Politiker in Megara u. Athen* (*Stuttg.* 1890) p. 8. Adversantur argumentis magnam partem perversis usi Schoemann schediasma de Theognide, opp. IV p. 37, Hartung praef. p. 17 sqq., Hiller *Jahrb. f. klass. Phil.* 1881 p. 461 sq. (quem immerito sequitur Flach *Griech. Lyrik* p. 396) et *Jahresber. f. klass. Altert.* 1888 p. 138. Pravissima interpretatio carminum quae maximi ad rem momenti sunt ab Hillero prolata valde abhorret a more viri docti ceteroquin cauti et sagacis.

[1]) Herwerden animadvers. ad Theognidem p. 12.

Quarto denique generi ea monelegia attribuimus, quae cum ne argumentum quidem cum Theognide commune habeant, prorsus libere composita et nomine Cyrni addito fraude in Theognidea illata sunt. Haec igitur spuria sunt iudicanda velut 147/8. Mihi quidem magna suspicio movetur quotiens cum elegiis Theognidis genuinis comparo haec praecepta ieiuna ad unamque ut ita dicam crepidae formam conformata:

131/2: *Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι πατρὸς καὶ μητρὸς ἄμεινον*
ἔπλεθ', ὅτοις ὁσίη, Κύρνε, μέμηλε δίκη.

895/6: *Γνώμης δ'οὐδὲν ἄμεινον ἀνὴρ ἔχει αὐτὸς ἐν αὐτῷ.*
οὐδ' ἀγνωμοσύνης, Κύρν', ὀδυνηρότερον.

1223/4: *Οὐδέν, Κύρν', ὀργῆς ἀδικώτερον, ἢ τὸν ἔχοντα*
πημαίνει, θυμῷ δειλὰ χαριζομένη.

1225/6: *Οὐδέν, Κύρν', ἀγαθῆς γλυκερώτερόν ἐστι γυναικός.*
μάρτυς ἐγώ, σὺ δ' ἐμοὶ γίνου ἀληθοσύνης.

Cf. vv. 117/8 quorum supra originem edocuimus:

Κιβδήλου δ'ἀνδρὸς γνῶναι χαλεπώτερον οὐδέν,
Κύρν', οὐδ'εὐλαβίης ἐστὶ περὶ πλέονος.

Sed monelegia quae restant non audeo cum fiducia aliqua inter genera illa discribere cum res ambigua et anceps sit. Ne de illis quidem quae protuli exemplis adeo certus sum, num suo quodque generi tribuerim. Quamobrem praestare mihi videtur omnia monelegia in unum congregare et per se tractare ab elegiis Theognidis plenioribus seclusa. Ex horum distichorum grege ea quam supra fecimus carminum compositione disticha abierunt 87/8 et 359/60, accesserunt divisione elegiarum vv. 543/4.

Haec fere habebam de distichis monelegiis quae vocavi, nisi quod vv. 1161/2 qui sunt

Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσειν παισὶν ἄμεινον·
αἰτοῦσιν δ'ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδου

pauca verba requirunt. Hos enim cum vv. 409/10 q. s.

Οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καιαθήσῃ ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥτ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἕπεται

ita congruere ut utrumque distichon ab eodem poeta profectum esse non possit, iam a multis observatum est. Welcker, ut erat parodiarum captator, loco posteriore parodiam agnovit, ego cum Bergkio Usenero Schaefero [1]) versus 1161/2 ex prioribus fictos puto. Lectionis autem discrepantiam cum Bergkio et Schaefero hoc modo natam existimo: Versus casu deperditos cum quidam in libris corruptos reperiret, sive syllogarum concinnator fuit sive librarius, de suo supplevit atque pessime, ut gnoma inepta ab ingenioque Theognidis alienissima exstiterit.

Caput II.

Restat unum carmen Cyrni nomine insignitum, quod priusquam Theognidi vindicare liceat, disputatione opus est longiore, quam quidem capiti proprio reservavimus. Exstat enim in ἐλεγείων β inde a v. 1353 usque ad 1356. Hunc autem librum, quem notum est in solo Mutinensi servatum esse et a Bekkero demum in lucem prolatum, primus Welcker Theognidi abiudicavit, post eum multi alii viri docti, Hertzberg, Hartung, Rintelen, Nietzsche, Renner, van der Mey, van Herwerden, H. Schneidewin, Sitzler, Hiller, Couat, Flach, Corsenn, Schaefer [2]). De singulis hi in varias discedunt senten-

[1]) Bergk in ed. ad v. 1161; Usener l. c. p. 70 sq. Quamquam quod Usener coniectura effecit,

οὐδένα θησαυρὸν πραπίσιν καταθήσῃ ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥ τ'ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἄφενος

probare non possum. — Schaefer p. 19—22. Cf. Cauer Philol. 1891 p. 537 sq.

[2]) Welcker p. CII; Hertzberg in Prutzii *litterar. histor. Taschenbuch* 1845 p. 339 sq. et 361 sqq.; Hartung p. 24, 133, 286; Rintelen de

tias; plerique, ut van der Mey Hiller Couat Corsenn, si non totum librum, at maximam partem ab homine quodam profectam esse putant, qui ex sylloga Theognidis ea quae hodie exstat verbis, formulis dicendi, versibus totis vel dimidiatis passim ereptis et excerptis elegias illas amatorias compegerit, sive ludendi causa sive ut carmina Theognidis ex quibus hauserit in ridiculum verteret. Hoc parodiam vocant. Schneidewin autem collectionem concinnatam existimat ex elegiis Mimnermi, Solonis, Theognidis sinceris, carminibus quibusdam parodicis, versibus ab ipso syllogae confectore exiliter et ieiune factis. Contra Nietzsche libellum Mimnermi esse arbitratur; quem librum hominem Theognidis sapientiae laudi invidentem saeculo quinto p. Ch. ad syllogam adnexuisse ut poetae maculam amoris puerilis aspergeret. Hartung appendicem totam paucis versibus exceptis Eueno tribuit. Etiam de tempore confecti libri dissentiunt critici. Hertzberg aetati Alexandrinae vindicat, Couat aevo Byzantino, Hiller et Corsenn ante Alexandrinorum tempora ortum credunt.

Sunt contra qui de parodiis non cogitent quique eundem statum atque libri primi accipiant, scil. etiam librum β ab epitomatore ex syllogis Theognidis et aliorum poetarum antiquorum contractum, nonnulla certe Theognidis propria esse (1353—56), Solonis esse 1253/4 (etiam 1255/6?), vv. 1345—50 fortasse Eueni, cetera maximam partem a poeta Megarensi

---

Theognide Megarensi poeta (diss. inaug.), Monasterii 1863, p. 38 sqq.; Nietzsche in Mus. Rhen. XXII p. 176 sq., 180 sq, 185 sq.; Renner in Curtii *Studien zur griech. u. latein. Grammatik* I 1 p. 139; van der Mey studia Theognidea p. 28—39; van Herwerden animadversiones philol. ad Theognidem p. 14—17, add. p. 55; H. Schneidewin de syllogis Theognideis (diss. Argentinensis 1878) p. 36—41; Sitzler proll. p. 35; Hiller *Jahrb. f. kl. Phil.* 1881 p. 450, 470 sq., idem *Jahresber. f. klass. Altert.* 1888 p. 142 sq. et 156 sqq.; Couat *le second livre d'élégies attribué à Théognis* (*annales de la faculté des lettres de Bordeaux* V p. 257—290, *Bordeaux* 1883), contra eum Hiller *Jahresber.* 1883 p. 258 sq.; Flach *griech. Lyrik* p. 403; Corsenn quaestiones Theognideae, *Programm v. Geestemünde*, Lipsiae 1887; Schaefer de iteratis ap. Theog. distichis p. 4 sq. et 32 sqq.

profecta esse posse. Haec est sententia Bergkii, et ut videtur Dielsii [1]). De quaestione nos quid iudicemus hoc loco exponere libet, neque nimis breviter, ut adversariorum argumenta satis refellamus, neque nimis copiose, cum res paene propriam dissertationem quam nos vocare solemus desideret.

Una causa atque ea qua maxime adducti sunt critici, ut parodiam agnoscerent', est quod in libro altero verba, formulas, versus invenerint etiam in libro primo eadem vel simili forma exstantia. Quo in studio locorum similium colligendorum saepe modum concessum ita longe egressi sunt, ut nugari videantur. Velut quod in vv. 1247/8 condendis versus 325—27 exemplo fuisse Corsenn dicit (p. 7 et 37), iure mireris. Quid aliud commune nisi una vox *ἁμαρτωλή*? Et hanc plagiator ille proferre non poterat nisi ex loco illo sumptam? Ridiculum hoc.

Porro versus 11—14 van der Mey putat ab poeta illo in parodiam mutatos esse versibus 1327—30 (p. 34). Congruunt profecto vocativo in initio exstante et verbis *σοί—ἐμοί*. Sed haec similitudo fortuita est et tam levidensis, ut nemo omnino animadvertat nisi qui industria talia quaerit. Refutatur perversa viri docti opinio etiam eo quod vv. 1327/8 per se stare et vv. 1329 sq. novum carmen incipere manifestum est [2]).

Idem criticus (p. 31) hominem 'spurcum' cum vv. 1231—34 pangeret, illum ignem quo arderet sibi persuasit 'ex Theognidis indignabundi' vv. 1103/4 et 541/2 petivisse q. s.

"Υβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε καὶ Κολοφῶνα
καὶ Σμύρνην. πάντως, Κύρνε, καὶ ὔμμ' ἀπολεῖ

---

[1]) Bergk *Literaturgesch.* II p. 314 sq.; Diels in Hermae vol. 23 p. 283.

[2]) Quamquam etiam Hartung et Sitzler vv. 1327—34 iniuria in unum coniungunt. — Ceterum van Herwerden, qui ipse quoque librum spurium ducit, van der Meyium falso de parodia et illorum versuum origine ex vv. 11—14 petita iudicare dicit (p. 55). Negat etiam Corsenn (p. 40) vv. 11—14 exemplum esse; idem nimirum v. 1327 sq. ad vv. 1/2 et 1023/4 redire arbitratur.

et *Δειμαίνω, μὴ τήνδε πόλιν, Πολυπαΐδη, ὕβρις*
ἥπερ Κενταύρους ὠμοφάγους ὀλέσῃ.

In his morari operae pretium non est [1]).

Ut iam exemplum adhibeamus, quod maiorem habet speciem, versus 1267—70

Παῖς τε καὶ ἵππος ὁμοῖον ἔχει νόον· οὔτε γὰρ ἵππος
ἡνίοχον κλαίει κείμενον ἐν κονίῃ,
ἀλλὰ τὸν ὕστερον ἄνδρα φέρει κριθαῖσι κορεσθείς·
ὡς δ'αὔτως καὶ παῖς τὸν παρεόντα φιλεῖ

van der Mey (p. 29) et Corsenn (p. 10 sq. et 37) parodiam agnoscunt versuum 1157—60

Πλοῦτος καὶ σοφίη θνητοῖς ἀμαχώτατον αἰεί·
οὔτε γὰρ ἂν πλούτου θυμὸν ὑπερκορέσαις·
ὡς δ'αὔτως σοφίην ὁ σοφώτατος οὐκ ἀποφεύγει,
ἀλλ' ἔραται, θυμὸν δ'οὐ δύναται τελέσαι.

Concedo universam formam sententiarum similem esse, quae tamen natura sententiarum ipsa explicatur. Namque cum altera versu primo comparationem habeat (1267) quae insequentibus quam vera esset demonstrandum erat, altera gnomam quae item illustrari debebat, facile fieri poterat ut verbis *οὔτε γάρ* explicatio daretur. Atque quod ad vocabula ipsa, quod poeta carminis amatorii verba *ὡς δ'αὔτως* initio versus ponit, hoc non habere debet ex v. 1159. Immo usitatum illud est apud poetas epicos quorum locis et formulis etiam poetae elegiaci utuntur [2]). Sed quod ante verba q. s. *ὡς δ'αὔτως* etiam forma verbi *κορέννυμι* utroque loco legitur, mero casui tribuendum est, unde nihil concludendum, praesertim cum verbum utroque loco de rebus diversis usurpetur. Itaque concedere non possum carmen de quo agitur esse

[1]) Van der Meyi sententiam iure reicit Corsenn p. 39.

[2]) Exempla vide apud Rennerum: *Über das Formelwesen im griechischen Epos und epische Reminiscenzen in der älteren griechischen Elegie*, Lips. 1872, p. 58 n. 9.

parodiam eius generis quale Corsenn statuit (p. 42), scil. imitationem, nedum parodiam propriae notionis, ut est sententia van der Meyi. Parodia enim fit, si verba auctoris nota ad rem alienam ita adhibentur ut risus legentium moveatur. Sed existimas poetam si vv. 1267 sqq. ita fecit, credidisse omnes carmen suum legentes loci illius Theognidei recordaturos? Atque carmen illud 1267—70 amatorium est, nihil aliud; ne minimum quidem ridiculi habet.

Gravissimum autem exemplum parodiae de quo ceteri non dubitant[1]), exstat v. 1349/50:

οὕτω μὴ θαύμαζε, Σιμωνίδη, οὕνεκα κἀγώ
ἐξεδάμην καλοῦ παιδὸς ἔρωτι δαμείς.

Haec in fine elegiae posita dicunt dubium non esse quin expressa sint ex his carminum genuinorum versibus ultimis:

v. 25: οὐδὲν θαυμαστόν, Πολυπαΐδη· οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς κτλ.
et 191: οὕτω μὴ θαύμαζε γένος, Πολυπαΐδη, ἀστῶν κτλ.

Quid? Qui fieri potest ut utrumque locum scriptor appendicis imitatus sit? Non nisi alterutrum, opinor, scil. v. 191. Etenim si v. 191 ita exscripsit, ut speciem habet, non potest simul v. 25 respexisse. Praeterea versus 25 non adeo similis est. Si tamen in sententia sua adversarii perseverant, scil. locum simillimum esse, eo magis eos de ceteris errare sequitur. Quid enim? Si re vera bis Theognis carmen simili modo conclusit, itaque proprium quendam dicendi usum secutus est, quo tandem iure quis negat etiam tertium locum eiusdem poetae esse, immo necessario alii cuidam esse adscribendum? — Sed alterum locum (scil. v. 191) poeta libri β mihi imitatus esse videtur, quamquam si quis ita vult etiam Theognis imitator alterius esse potest. Verum si imitationem accipio, non magis vituperanda est illa, quam quod poeta Megarensis

[1]) Van der Mey p. 34 sq.; Hiller p. 477; Couat p. 281; Corsenn p. 20, 37, 43.

locos Hesiodeos expressit et Solonem imitatus est, Solon Tyrtaeum [1]). Sed utut res se habet, minime parodia est.

Ut hic paullum subsistamus, quo diutius et accuratius rem delibero, eo magis adversarios errare mihi persuadeo argumentisque uti quibus nihil demonstretur. Hoc praecipue valet de formulis epicis et elegiacis. Satis notum est elegiographos in carminibus componendis passim epicos sequi eisque quae in poesi epica per tot saecula usurpatae paene obduruerunt formulis uti, praecipue in hexametro. Egregie autem de sermone epico exemplisque eius apud elegiographos exstantibus egit Renner libro supra commemorato (p. 26 adn. 2); praeterea rem bene tractavit Kuellenberg in dissert. q. i. 'de imitatione Theognidea' (Argentorati 1877). Deinde observare licet, neque quemquam qui poesi elegiacae operam dederit hoc effugisse opinor, apud poetas elegiacos item atque apud epicos paulatim certum usum dicendi, elocutionem, electionem verborum et collocationem, praesertim in pentametro ut natura ferebat, orta esse quae alter ab altero susceperit. Hac de re multa utilia attulit idem Kuellenberg, praecipue p. 49 sqq. Quae cum ita sint, si in appendice permagnus invenitur numerus locorum et formularum quae etsi etiam in collectione nostra maiore monstrari possunt, tamen creberrime etiam leguntur apud Homerum et epicos, Mimnermum, Solonem, alios elegiarum scriptores, dubium non est quin his locis demonstrari non possit auctorem appendicis librum primum Theognidis qualis nunc exstat, ante oculos habuisse debere. Atque hoc maxime Corsenno vitio tribuendum, qui cum in prima parte dissertationis suae (p. 4—24) praeter ea quae Rennero et Kuellenbergio debet ipse quoque multa alia similia vel congruentia magna industria collegerit, quamquam excusat non omnia quae congesserit plagiatori exemplo fuisse sese credere, tamen locis collectis ad illam rem utatur.

---

[1]) Ut Theogn. 1197 sqq. = Hes. op. 448 sqq.; Theog. 133—42 = Sol. 13, 65 sqq.; Theog. 39—42, 43 sqq. = Sol. 4, 1—11.

Exempli gratia affero vv. 1299 et 1355, ubi item ac v. 329 vox q. e. διώκων in versu exeunte reperitur (Corsenn p. 14, 15, 21). At ipse Corsenn ad Rennerum relegat (p. 66 n. 64), qui poetas epicos formas διώκων, διώκειν etc. paene semper in fine versus posuisse monstret. Apparet igitur hoc exemplum ad quaestionem nostram nihil valere, immo poetam versuum 1299 et 1355 nihil fecisse nisi quod exspectandum fuerit, ergo non v. 329 imitatum esse. Quamobrem vitiose mihi vir doctus egisse videtur, quod talia ad versus nostros adscripsit. Etenim quaestio difficilis iudicatu his magis obscuratur atque confunditur quam explicatur.

Neque secus est de verbis κεῖσθαι [1], πείθειν [2], ἀπατᾶν [3]) aliis, quae saepe hanc versus sedem occupent.

Idem valet de substantivis quibusdam, ex quibus si colligis poetam illum ex farragine libri primi hausisse pravissime iudices. Ut quamquam concedendum est praeter vv. 1256 et 1324 vocem εὐφροσύνη etiam in libro α legi vv. 776 et 1068 in fine pentametri [4]), tamen imitatio non est. Occurrit enim eadem vox apud Sol. 26, 2 et Anacreontem 94, 4 eadem versus sede. Omnino, et hac re omnis illa suspicio tollitur, verba in υνη exeuntia saepissime a poetis elegiacis ibi poni videmus. Ut etiam nostros thesauros aperiamus ut adversarii, δουλοσύνη occurrit in fine pentametri apud Solonem 4, 18; 11, 4, Theogn. 1214, Simon. Ceum 101, 2; παλαισμοσύνη apud Tyrt. 12, 2 et Xenophanem 2, 16; ἀληθοσύνη ap. Theogn. 1226; φιλοφροσύνη habet Jon 2, 8; σωφροσύνη Theogn. 1326, Simon C. 115, 4, Critias 2, 22, Crates 2, 2; ἀφροσύνη Sol. 13, 70 (= Theogn. 590), Theogn. 230 (= Sol. 13, 74?), Menand. v. 2 (Bergk. p. 375); φιλημοσύνη Theog. 284; πολυ-

[1]) 1259; 19; 421; 685. Corsenn p. 9.

[2]) οὐδέ με πείσεις v. 1363 et 839. Corsenn p. 22. Vide Rennerum p. 36 n. 49.

[3]) 1285; 143; 1037; 1219. Renner p. 67 n. 71 (Corsenn hoc exemplum omisit).

[4]) Corsenn p. 9, qui quidem hic non aperte de imitatione loquitur.

φροσύνη Theog. 712; ἀπημοσύνη Theog. 758; ἐπιφροσύνη Theog. 1100; ἱπποσύνη Sim. C. 108, 2 [1]).

Fortasse eum qui haec legit, offendit haec abundantia mea, ubi pauca exempla satis esse putes. Neque vero hoc sine causa facio. Iam enim quasi ex angusto sinu Theognideo nobis videmur in mare altum provecti esse et litora non iam conspicere. Intelligimus illud de quo agimus proprium esse omnium elegiographorum; quo magis illorum sententia redarguitur qui poetam nostrum furti insimulant.

Adhibeamus iam nonnullas verborum compositiones. Versus 1323—26 Couat parodiam habet versuum 1119—22 [2]). In utroque carmine poetam videmus votum facere, deos invocare, verbis μέτρ' ἥβης vel ἥβης μέτρον uti. At qui non praeoccupata mente ad rem iudicandam aggreditur, concedet similitudinem vix esse nisi verborum, argumenta tam dissimilia esse ut de imitatione cogitari non possit. Atque verba q. s. μέτρα ἥβης, quae ansam suspicionis dederunt, usitatissima sunt, quae quivis poeta in suum usum vocare potuerit. Cf. Hom. Λ 225 αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἥβης ἐρικυδέος ἵκετο μέτρον, λ 317, σ 217, τ 532 ἥβης μέτρον ἵκοντο, ἱκάνεις, ἱκάνει; hymn. in Cer. 166 et 221; Hes. op. 132 et 438, fr. 100, 2 Rzach.; Kaibel. epigramm. graec. 193, 3 εἰς μέτρα θ' ἥ[β]ης ὡς ἀνη[γ]όμην; Eurip. Jon 354 σοὶ ταὔτ' ἂν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχεν μέτρα [3]).

In elegia Cyrno dicata v. 1356 legitur πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον [4]). Haec verba vel similia occurrunt v 210 (π.) τ. α., 124 et 258 τ. α., 812 (πάντων,) Κύρν', ἀνιηρότατον, 896

---

[1]) Vide Kuellenbergium p. 52 sq.

[2]) Couat p. 264: '*au vers 1326 le pluriel* μέτρ' ἥβης τελέσαι *est une mauvaise imitation du vers 1119 de Théognis* ἥβης μέτρον ἔχοιμι'. At pluralis ipse te revincit, imitationem non esse. Poetae enim antiquiores habent μέτρον, hic, Euripides, auctor epigrammatis ap. Kaibel. μέτρα. Quae res quae poetam nostrum recentiori aetati vindicare videtur, tamen nobis non obstat qui librum ex carminibus diversorum elegiographorum compositum putemus.

[3]) Renner p. 43, 101 d.

[4]) Van der Mey p. 19, cf. Corsenn p. 21.

Κύρν', ὀδυνηρότερον. Addo haec idonea quae comparentur: Tyrt. 10, 4 (*πάντων*) *ἔστ' ἀνιηρότατον*; Callim. epigr. 14, 4 Wilam. *χρῆμ' ἀνιηρότερον*; Cleobulina 2, 2 *τοῦτο δικαιότατον*; Sol. 12, 2 (*πάντων*) *ἐστὶ δικαιοτάτη*; Callim. 32, 4 *τοῦτ' ἀνεραστότατον*, omnia in altero colo pentametri [1]). Quid? ex tribus exemplis quae nomine Cyrni ornata Theognidi ipsi tribuenda sunt (124, 812, 896), nonne apparet ei qui ter verba illa iteraverit, etiam quartum adhibere licuisse? Quo iure igitur v. 1356 non ab eodem poeta proficisci posse affirmas et per parodiam dictum esse? Quia, inquis, quamquam per se licebat repetere, non de re seria et gravi repetuntur, sed de re levi. Sed hic tuus error est, carmina amorem puerilem continentia res leviores et ludicras appellare. Si quis oculis ut ita dicam hominum recentiorum rem cernit, omnino de tota quaestione ne audeat iudicare. Quid, quod formulam illam non solum in collectione nostra corrupta Theognidea exstare videmus, sed etiam apud alios poetas elegiacos? Eo magis opinor hominibus ieiuna mente iudicantibus certum erit poetam nostrum illa non ex libro *α* desumpsisse.

Maioris iam momenti videtur esse quod etiam toti versus repetuntur. Compara vv. 1237/8

ἀλλὰ τλῆθι νόῳ συνιεῖν ἔπος· οὔ τοι ἀνάγκη
τοῦθ' ἕρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ

cum vv. 1085/6

Δημῶναξ, σοὶ πολλὰ φέρειν βαρύ· οὐ γὰρ ἐπίστῃ
τοῦθ' ἕρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ

et 1095/6

σκέπτεο δὴ νῦν ἄλλον, ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη
τοῦθ' ἕρδειν· τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο [2]).

Sed vide etiam haec:

540 = 554 *εἰ μὴ ἐμὴν γνώμην ἐξαπατῶσι θεοί,*
128 *πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι.*

---

[1]) Vide Kuellenbergium p. 51 sq.
[2]) Vid. van der Meyium p. 32, Corsennum p. 5 et 37, Schaeferum p. 4.

Omnes hi tres versus in elegiis ad Cyrnum scriptis leguntur. Iam hic haeret aqua. Nam materiam difficilem tetigimus plenamque periculi, repetitiones, de quibus confidenter et certo iudicare non licet[1]). Atque si hoc Theognidi in libro primo permissum erat — quod equidem non dubito — qui potest quis affirmare eum qui in libro β versum τοῦθ' ἕρδειν κ. τ. λ. iteraverit Theognidem esse non posse? Itaque sententiae illorum accedere nequeo.

At versus 1117/8

Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίνεται ἐσθλὸς ἀνήρ

manifestum est plagiatori materiam dedisse parodiae quae vv. 1365/6 exstet[2]):

Ὦ παίδων κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
στῆθ' αὐτοῦ καί μου παῦρ' ἐπάκουσον ἔπη.

Persuasum igitur habent illi Plutum deum iure et vi propria omnium pulcherrimum et amoenissimum appellari potuisse, non puerum amatum, ita ut v. 1365 imitationem esse necesse sit. Equidem contrarium crediderim, scil hoc de ἐρωμένῳ apte dici, de Pluto non nisi translate et auctorem versus 1117 locum poetae alius spectare. Itaque aut v. 1117 parodia est versus inferioris 1365 aut scriptor uterque poetam tertium antiquiorem imitatus est.

Neque aliter res se habet de vv. 1353 et 301[3]). Praeclarum enim sensum praebere versus loco inferiore quis neget? Scil. simul dulcem et amarum esse amorem, illecebrarum plenum et duritiae, dum voti compos fiat. Contra

[1]) Egerunt de his Schaefer in libello suo de iteratis ap. Theog. distichis et Cauer in Philol. 1891 p. 529 sqq. Schaefer versus illos quidem 128, 540, 554 in formularum numero habendos merito putat p. 4.

[2]) Rintelen p. 39; van der Mey p. 35; Corsenn p. 22 et 37; Schaefer p. 4 sq. Cf. Rennerum p. 21 n. 39.

[3]) Welcker p 60; Rintelen p. 39; van der Mey p. 35; Couat p. 278 sq.; Corsenn p. 21, 29, 37, 43; Schaefer p. 33.

vv. 301/2 praeceptum dant sapientiae tam divinae, ut ego me non perspicere fatear. Namque ut verba de servis et operis aliquo modo intelligi possunt, ita non de vicinis quos poeta acerbe et comiter tractari iubet. Hoc et quod vocem q. e. *ἀρπαλέος* primitus in locum inferiorem, non superiorem scriptam apparet, me movent ut vv. 301/2 parodiam esse versuum libri *β*, non vicissim, pro certo affirmem [1]).

Ut breviter quae adhuc statuimus colligamus, quoscumque locos similes contemplati sumus, opinio illa de imitatione et parodia vana deprensa est. Dices: de singulis locis fortasse concedam, sed summam respicere oportet, atque librum totum locis scatere qui legenti librum primum in mentem revocent non negabis. At nihil inde sequitur. Similitudo enim quam habet appendix cum libro *α*, non maior est quam quae in libro primo ipso inter permultos locos intercedit. Quod autem omnino similitudo libro *β* cum priore intercedens cernitur, casu factum est et iniquitate temporum, qua permagnus numerus versuum Theognideorum nobis servatus est, non item Callini, Archilochi, Tyrtaei, Mimnermi, Solonis. Quos poetas si integros in manibus haberemus aut saltem maiorem partem versuum, non dubito quin numerus locorum similium et congruentium quasi in immensum augeretur et omnis illa falsa opinio tolleretur.

Altera causa qua adversarii sententiam suam confirmari arbitrantur, est quod disticha tota libri primi, si quae in *ἐλεγείων β* repetuntur [2]), ita collocata esse videantur, ut in sensum eroticum accipienda sint, cum eis primitus nihil erotici insit; unde magis elucere appendicem opus esse unius viri qui syllogam nostram primam in manibus habuerit. Ut Hiller [3]) poetam putat cum vv. 1101/2 post vv. 1275 – 78 ite-

[1]) Haec etiam Hartungii sententia est (ad v. 301).

[2]) Disticha in libro *β* iterata collecta habes apud Schneidewinum l. c. p. 37. Cf. Corsenn p. 35—37, Schaefer p. 33 sqq., Cauer Phil. 1891 p. 542 sqq.

[3]) *Jahrb. f. klass. Phil.* 1881 p. 450.

raret, clausulam huius elegiae esse voluisse. Habes igitur hoc poema:

Ὡραῖος καὶ Ἔρως ἐπιτέλλεται, ἡνίκα περ γῆ
ἄνθεσιν εἰαρινοῖς θάλλει ἀεξομένη,
τῆμος Ἔρως προλιπὼν Κύπρον, περικαλλέα νῆσον,
εἶσιν ἐπ' ἀνθρώπους σπέρμα φέρων κατὰ γῆς,
ὅστις σοι βούλευσεν ἐμεῦ πέρι καὶ σ' ἐκέλευσεν
οἴχεσθαι προλιπόνθ' ἡμετέρην φιλίην.

At hoc poema tam ineptum et miserum est, quale auctor appendicis nunquam commisit. Doleo igitur me Hillero assentiri non posse. Immo cum Bergkio distichon arbitror fragmentum esse elegiae nunc amissae idemque antiquitus in libro *β* locum habuisse, unde in librum *α* translatum.

Item omni probabilitate caret versus 1107/8 ab auctore musae puerilis versibus 1311—18 ut finem adnexos esse. Namque carmen antecedens v. 1318 ita absolutum esse manifestum, ut distichon 1107/8 nullo modo cum eis coniungi possit.

Neque de vv. 949/50 ante vv. 1279—82 repetitis, q. s.

Νεβρὸν ὑπὲξ ἐλάφοιο λέων ὥς ἀλκὶ πεποιθώς
ποσσὶ καταιμάρψας αἵματος οὐκ ἔπιον,

quos Hiller plagiatori initium carminis insequentis fecisse arbitratur, res ita se habet, quamquam illud primo obtutu speciem quandam habet. Poeta enim amatorius si illud fecisset, sine dubio distichon non per se solum collocasset, sed cum versibus insequentibus in unum carmen conglutinasset. Neque vero prorsus apte coniungi potest, quod etiam Hiller sensisse videtur, cum in Anthologiae lyr. editione quarta a se curata versus 1278 c, d cum 1279 sqq. connectere ausus non sit.

Vv. 1151/2 denique documento sunt quam perversa argumentandi ratione parodiarum captatores utantur. Redeunt enim in libro altero ante v. 1239 sqq., ita tamen ut arctissimo vinculo cum illis coniungi et elegiam unam integramque facere

nemo neget. Duplici modo autem mea quidem sententia haec res explicari potest. Accusatores illi nimirum furem insimulant versus ex libro primo sumptos in suum usum vertisse cum parodiam suam scriberet[1]. Nos contra in libro altero pristinam carminis integri formam adhuc servatam nobis persuasimus, distichon syllogae maioris fragmentum nostri poematii esse. Sic fere Bergk ad v. 1239; facit autem cum nobis et unus ex adversariis, Rintelen (p. 41), qui distichon *πολλάκι τοι πὰρ ἐμοί κτλ.* in libro *α* temere omissum concludit[2]. Quem sodalem Hiller reicere conatur cum illum naturam atque indolem libri alterius non recte perspicere dicit. At hoc demonstrandum erat, librum ex parodiis constare; quodsi hanc sententiam sequentes illud argumentum afferunt, si porro docetur argumentum esse anceps quod etiam in contrariam partem verti possit, quam perversum est tum verba talia facere qualia Hiller! Nonne hoc est in circulo se versare?

Uno verbo moneam v. 1262 eiusdem libri similem esse vel eundem atque 1239 b. Quod licere iam supra (p. 31 sq. ad v. 1238) opinor vidimus[3]. Quibus expositis nihil nos impedit quominus contra repetitionibus ad nostram de origine appendicis sententiam stabiliendam utamur. Putamus enim ab eodem qui collectionem maiorem concinnaverit, et librum *α* et librum *β* ex eisdem syllogis antiquioribus excerpendo

[1]) Mey p. 30; Corsenn p. 6 et 37; Schaefer p. 36.

[2]) Cf. Schneidewinum p. 19 et 37.

[3]) Cf. Simon. C. 92, 2 (*κείνων*) *ῥήμασι πειθόμενοι;* Sol. 4, 6 *χρήμασι πειθόμενοι;* Theog. 194 *χρήμασι πειθόμενος;* Sol. 4, 11 (*ἀδίκοις*) *ἔργμασι πειθόμενοι*, id. 13, 12 (*ἀδίκοις*) *ἔργμασι πειθόμενος;* Theog. 380 (*ἀδίκοις*) *ἔργμασι πειθομένων;* Theog. 948 (*ἀδίκοις*) *ἀνδράσι πειθόμενος;* Simon. 140, 2 *λήματι πειθόμενοι;* Theog. 756 *σώφρονι πειθόμενος.* — Similia sunt in altera pentametri parte Theog. 920 *γαστρὶ χαριζόμενος*, ibid. 774 *παιδὶ χαριζόμενος;* Simon. 123, 4 *παισὶ χαριζόμενος;* 85, 14 *τλῆθι χαριζόμενος.* — *θεοῖσιν ἐπευχόμενος* Theog. 358 et 944, *θεοῖσιν ἐπευξάμενος* 1116. Exempla cum participio *ἐπιστάμενος* habes Archil. 1, 2; Sol. 13, 52; Theog. 564, 652, 772; Aeschyl. 4, 4 Bergk.; Philetas ap. Stob. flor. 81, 4 v. 4 (vide Kuellenberg. p. 53).

factum esse[1]), quo in negotio non semel illum distichi iam supra positi immemorem distichon inferiore loco iterum dedisse.

Veniamus ad tertiam causam ab istis prolatam. Testimoniis veterum scriptorum elucere dicunt alienos esse a poeta Megarensi cum ceteros versus amatorios, tum maxime eos qui libro altero contineantur[2]). Longam enim seriem testium inde ab auctore libri *περὶ Θεόγνιδος* et Isocrate usque ad Suidam[3]) producunt, apud quos ubi Theognidis commemoratio fiat, praesertim ut viri sapientis et optimi vitae praeceptoris, ita comparatam esse, ut illa sane non dicturi fuerint, si disticha obscoena novissent. Maxime hoc demonstrari testimoniis Athenaei et Stobaei qui, facultate data versus eroticos afferendi, nostros non citent. Haec cum eadem via sit argumentandi qua utuntur qui syllogam maiorem circa Stobaei tempora vel postea ortam credunt, illi pro me verba faciant qui collectionem aetati Alexandrinis superiori vindicant. Vide quae exposuerunt Hiller *Jahrb. f. Phil.* p. 468 sq. et Bergk p. 315 not. 71. Nos pauca addamus. Scriptoribus recentibus re vera non nisi librum primum praesto fuisse existimamus et rem ita actam esse animo nobis informamus: sylloga ab homine ignoto confecta librorum duorum cum identidem descripta esset, quendam de causa perspicua librum *β* omisisse; inde duo exempla describendo propagata esse, unum *ἐλεγείων α* solum exhibens, alterum libros *α* et *β*. Hoc, ut natura materiae ferebat, magis magisque evanuisse et mero casu nobis unum exemplum servatum, cod. Mutinensem[4]). Contra priores ut Isocratem alios, qui Theognidem integrum habebant aut anthologias carminum

---

[1]) Cf. Bergk *Literaturgesch.* II p. 314.

[2]) Sunt hi: Welcker p. LXXI sqq.; Nietzsche p. 180 sqq.; H. Schneidewin p. 40; Sitzler p. 20—22; Couat p. 270 sqq.; Flach p. 403; Corsenn p. 3 et 44.

[3]) Suidam *ἐλεγείων β* videri novisse Schneidewin comprobat p. 41 (assentitur Flach not. 2, qui tamen mira loquitur), non novisse credit Couat.

[4]) De casu cf. Hillerum l. c. p. 471.

eius diversas, ex quibus postea nostrae syllogae contractae sunt, animadvertisse puto Theognidem ab amore puerorum non alienum esse neque tamen rem commemoratione dignam duxisse aut inde laudi poetae quicquam detractum. Apud Atticos enim tum vitium illud sollemne erat neque in infamia habebatur, quod demonstrant vasa fictilia et scripta Platonis cum alia tum Phaedrus et Convivium [1]). Utut de his iudicabitur, nos hoc iuris nobis sumimus ex Theognide ipso colligendi qualis fuerit; revocamus igitur ad ea quae supra explicavimus p. 7.

Reliquum est, ut sermonem poetae nostri vel poetarum paucis verbis tangamus. Fuerunt enim qui sibi formas et verba posteriorum temporum propria in appendice detexisse viderentur. Herwerdenum dico (p. 14 et 15), cuius crimina non magni momenti sunt quaeque Corsenn (p. 31 sq.) iure reiecit, et Couatium (in notis versioni additis), quem item argumentis satis gravibus Hiller [2]) reppulisse mihi visus est. Contra Hiller [3]) et Corsenn sermonem simplicem et dilucidum, elocutionem elegantia non carentem, imitationes sermonis epici late patentes indicia satis magna esse docent, quibus appendicem ante Alexandrinorum tempora conditam evincatur. Confer etiam quas Corsenn de arte poetae versuum componendorum et legibus metricis diligenter servatis observationes congessit p. 32—35.

Unam autem ex rebus metricis quam ille omisit, hic breviter tractare liceat, usum positionis debilis. Hac re enim poetae antiqui ab inferioribus maxime discrepare solent. In vocali autem natura brevi ante mutam cum liquida corripienda quid poetae diversorum temporum sibi permiserint, optime disci potest ex Goebelii dissertatione q. i. 'de cor-

---

[1]) Eiusmodi loci legenti passim se offerunt, ut in Menone 76 *B*. Qui enim fieri posset ut iuvenis hunc iocum aequo animo ferret nisi talia vulgaria fuissent et quasi in aëre versantia?

[2]) *Jahresber. f. klass. Altert.* 1883 p. 259.

[3]) *Jahrbüch. f. klass. Phil.* 1881 p. 471.

reptione attica' (Argentorati 1876) [1]. Scriptor igitur noster duodetricies vocalem ante mutam cum liquida longam retinuit [2]. Semel in media voce vocalem corripuit: Ἀφροδίτης 1293. Quod quidem excusatur primum eo, quod est nomen proprium; nomina autem, cum aliter saepe a metro abhorrerent, maiore licentia fruuntur. Deinde consonantium compositiones quarum altera est ρ, maxime iure corripiendi utuntur. Hae fuerunt causae cur Homerus nomen illud non aliter nisi mensura ⏑⏑–– adhibuerit. Ab hoc posteri (praesertim epitheto χρυσῇ addito) sumpserunt tanquam formulam, cum eodem versus loco, scil. in fine hexametri [3], eademque mensura adhibeant, ut Mimn. 1, 1, Anacr. 94, 3, Simon. C. 137, 3 et 151, 3, Plato 31, 4 [4]. Praeter hoc autem nomen nunquam poeta noster in voce simplici syllabam brevem admisit, neque in augmento, reduplicatione verbi, α privativo, voce composita. Bis deinde vocalem vocis finalem corripuit (1299 et 1377), ubi item ρ liquida est. Etiam hoc cum Homero [5] et poetis elegiacis si non antiquissimis — Callinus, Archilochus, Tyrtaeus hac correptione se abstinuerunt — at tamen satis anti-

---

[1]) Sitzleri quaestiones (*Jahrb. f. klass. Phil.* 1882 p. 516—518, *Studien zum Elegiker Theognis*, *Programm v. Tauberbischofsheim* 1885, p. 3—7) mea quidem sententia laude minus dignae sunt. Ille enim Hartelii observationem quandam secutus, quibus in pedibus correptio admissa esset permagni interesse falso putavit. Qua ratione cum materiam disposuerit, rem magis confudit quam illustravit. — Nos quidem exempla mutae c. l. apud elegiarum scriptores exstantia omnia in nostrum usum denuo collegimus, unde supra hausimus.

[2]) 1231, 1232, 1250, 1277, 1291, 1299, 1302, 1304, 1307, 1308, 1320, 1323, 1326, 1332, 1361, 1362, 1382, 1383, 1385, 1386. — 1257, 1313, 1341, 1386. — 1237, 1286, 1340, 1360.

[3]) Homerus nomen Veneris ibi bis et quadragies habet.

[4]) Cf. Renner *Formelwesen* p. 46 n. 11.

[5]) De homerico usu mutae c. l. egerunt: Bekker *homerische Blätter* I p. 34—37; Spitzner de versu Graecorum heroico (Lips. 1816) p. 88—105; La Roche *homer. Untersuchungen* (Lips. 1869) p. 1—42; Hartel *homerische Studien* I² (Berolini 1873) p. 80—89; Usener *altgriech. Versbau* p. 21—27; Rossbach u. Westphal *Theorie der musischen Künste der Hellenen*³ III 1 p. 103 sqq.

quis, Solone, Xenophane, Theognide genuino commune habet. Nunquam igitur ille ante compositiones graviores vocalem brevem admisit ut recentiores, ante πν, κν, χν, θν in media voce, βλ et γλ in fine verbi [1]). Sequitur poetam nihil habere propter quod aevo inferiori tribuere eum cogamur. Etsi inde temporibus posterioribus scribere eum non potuisse non vicissim efficitur, tamen maiorem habet speciem poetam antiquum esse, cum numerus correptionum perexiguus sit pro copia vocalium productarum (3 : 28).

Quod pertinet ad totam materiae sane lubricae tractandae rationem, iure Corsenn Hertzbergio Alexandrinis poematia attribuenti obloquitur, cum elegiarum multarum argumentum eroticum primo obtutu cognosci non posse moneat, immo scriptorem plerumque verbis modestis' usum amorem specie amicitiae velare, qua re disticha nostra permultum discrepare ab epigrammatis anthologiae Palatinae plenis obscoenitatis et lasciviae [2]). Haec et cetera quae commemoravi a Corsenno Hilleroque allata cum mihi recte se habere videantur, facere non possum quin horum sententiae accedam quantum quidem pertinet ad terminum ante quem.

Verum his argumentis nos non acquiescimus, immo nos quoque argumentum novum, quod non minimi momenti sit, afferre posse nobis videmur. Continetur autem vv. 1347/8. Notum enim est eam fabulae formam qua Ganymedes aquila ad caelum sublatus esse narratur admodum recentem esse [3]). Poetae veterrimi aut nihil accuratius de raptu pueri referunt (Il. Υ 232 sq., Lesches apud Welck. *ep. Cykl.* II p. 534, Ibycus in schol. ad Apoll. Rhod. 3, 158 = fr. 30 Bergk.), aut

---

[1]) Ut Simonides Ceus 99, 3; 141, 5; Aeschyl. fr. 2; Critias 2, 11; 2, 20; Parrhasius 1, 4; 3, 2; Aristoteles fr. 2; Crates 7, 4; Leonidas Tarentinus (laudo ad editionem Hartungianam) 3, 4; 9, 1; 48, 1.

[2]) Corsenn p. 30, 31. Cf. Bergk p. 315.

[3]) De Ganymede confer Prellerum *griech. Mythol.* I [3] p. 392, Overbeckium *griech. Kunstmythologie* I p. 515 sqq., Drexlerum in Roscheri lexico I p. 1595 sqq.

Iovem ipsum puerum in Olympum subduxisse narrant (hymn. in Vener. v. 202 sq.). Cum hac fabulae forma congruunt monumenta antiquiora. Exstant enim vasa fictilia tredecim[1] quae puerum ostendunt trochum et gallum (quae avis pertinet ad amorem puerilem!) tenentem Iovemque cum sceptro puerum insequentem. Complura autem vasa, id quod observatione dignum est, figuras rubras exhibentia ordinis ut dicimus severioris sunt, itaque saeculo quinto ineunti vel sexto exeunti attribuenda[2]), unum, guttus figuris nigris (*annal.* tab. A), antiquius est, fortasse non multo. Unum adhuc vasculum cognitum est quod puerum cum aquila exhibet (*annal.* tab. C 1, inde Engelmann n. 91), quod tamen minime nobis obstat, cum non ante saeculum quartum factum esse possit. Primum monumentum aquilam exhibens cuius tempus definiri potest, signum Leocharis est, qui statuarius medio saeculo quarto floruit et usque ad ultimos Alexandri Magni annos vixisse videtur[3]). Insequentibus temporibus non nisi hanc alteram formam fabulae invenimus, etiam in litteris. Apparet igitur primum carmen nostrum quippe quod puerum a Iove ipso raptum inducat, temporibus superioribus vindicandum, deinde van der Meyium[4]) et Couatium haud ita in archaeologia esse versatos, cum eo offendantur quod scriptor elegiae nostrae auctorem amoris puerilis Iovem ipsum inducat; nam edocent nos vasa illam sententiam iam antiquis temporibus divulgatam fuisse. Atque Couat quidem se ipsum refellit, cum de origine Alexandrina cogitans epigrammata anthologiae Palatinae quattuor comparari iubet. Haec cum aquilam habeant (XII

---

[1]) Di his egerunt Overb. p. 516—19, Koerte *annali dell' instit.* 1876 p. 49—62.

[2]) Velut B Koertii: *Élite céram.* I tab. 18 = Overb. tab. 8, 11; G Koertii: *annali* tab. C 2 (inde Engelmann *Bilderatlas zum Homer* I n. 90); L: *annal.* tab. B.

[3]) Plin. nat. hist. 34, 79; Brunn *Gesch. der griech. Künstler* I p. 385—90; Overbeck *Plastik* II[2] p. 63 sqq.

[4]) Qui haec hariolatur: *fabula Ganymedis a Jove in Olympum sublati puerorum amori praetenta fastidium movet* (p. 34).

194, 220, 221) [1]), optime quomodo poeta Alexandrinus carmen illud ficturus fuerit demonstrant. Quae cum ita sint, luce clarius est carmen quod legitur vv. 1345—50 antiquius esse aetate Alexandrina, fortasse ante saeculum quartum scriptum.

Licet fortasse fines temporum angustius circumscribere. Ulricus Koehler [2]) enim observasse sibi visus est in patera figuris rubris ordinis severi, quae Tanagrae eruta est, versum collectionis nostrae 1365 scriptum esse, q. e.: *Ὦ παίδων κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων.* Conspicitur in patera vir in lecto convivali accubans leporem mulcens — intercedit autem aliquid lepori cum amore puerili — et haec canens: *ο παιδον καλλιστε.* Quae verba cum initium distichi nostri opinetur vir doctus et cylicem initio saeculi quinti tribuat (quamquam me quidem iudice usque ad saeculum sextum exiens redire poterat), versus 1365/6 affirmat a Theognide posse conditos esse. Mihi quidem disputatio eius dilucide instituta prorsus persuasit. Critici autem qui contrariae partis sunt quid mirum quod vehementer repugnant et obluctantur? Atque Corsenn ille quidem artifici ante oculos versatum esse conicit carmen alius poetae antiquioris, fortasse Mimnermi, ex quo eodem uterque locus Theognideus effluxerit [3]). Sed fidem viro docto denego cum consilium illius perspectum habeam. Et cur, si rem simpliciter explicare possumus, nos ipsi impediamus obstaculis artificiose obstructis? Contra Hiller [4]) primum dubitat cantetne vir convivans an loquatur. Certe cantat, nam quoniam loquentes os non ita multum aperimus, nemo quod sciam pictor vasorum fictilium, quo erant Graeci talibus in rebus iudicio, adeo infacetus

---

[1]) Excepto uno, XII 230, quod nihil ad rem. Couat p. 281.

[2]) *Mitteil. des athen. Instituts* IX (1884) p. 1 sqq., tab. 1 (inde Baumeister *Denkmäler des klass. Altert.* III p. 1984).

[3]) Vid. p. 22. Hoc enim videtur dicere velle; verba eius non plane perspicua sunt.

[4]) *Jahresber. f. klass. Altert.* 1888 p. 157 sq. — De imagine ap. Kleinium *Euphronios* p. 98 errat.

fuit, ut hominem loquentem ore valde hianti pinxerit. Alterum quod Koehlero obicit Hiller hoc est, superlativos eius generis cum genetivo partitivo tam sollemnes esse, ut unusquisque fingere potuerit; quamobrem pictorem non poetam ullum respicere debere. Collegit etiam exempla septem, *κάλλισται παίδων* (Theocr. 15, 62), *ὦ βέλτιστε ἀνδρῶν*, *ὦ βέλτιστοι τῶν Ἑλλήνων* etc. ap. Plat., *ὦ κάκιστ᾽ ἀνδρῶν* (Soph. Philoct. 974) etc. Sed nescio quomodo virum doctum effugit his exemplis se refelli. In omnibus enim genetivus postpositus est, ut hanc solitam esse collocationem suspiceris. Nostro solo loco (scil. in vase) antepositus est, atque ita ut versus pars oriatur; quamobrem non prosam orationem ut Hiller vult, sed versum in patera exstare tuo iure colligas. Sed iam satis multa de re. Cum ea quae adversarii obiecerunt nihil valeant, sententiam Koehleri maximam habere probabilitatem omnes mente non praeoccupata iudicantes concessuros spero. Equidem, quod ad me, mihi persuasi pictorem initium versus libri *β* 1365 scripsisse. Quamquam non tam certa res est, ut omnes postulem idem persuasum habeant.

Atque cum nobis haec temporis indicia maioris esse momenti videantur, quam quas adversarii causas afferunt et quasi dictata magistri recinunt, perstamus in sententia nostra, scil. librum *β* non ab uno homine scriptum qui genuinum Theognidem imitatus sit vel parodia expresserit, immo eandem esse condicionem libri nostri eundemque statum atque libri primi, itaque confectum esse ex compluribus florilegiis. Quae sententia his etiam magis confirmari videtur: Nonnulli versus non nisi fragmenta elegiarum nunc deperditarum esse videntur, vv. 1247/8, 1357/8, alii. Disticha iterata quomodo interpretari possimus, supra dictum (p. 33 sqq.). Porro versus complures eroticos libri primi similis notae atque nostros ex eisdem fontibus haustos conicias, versus dico 1091—94, 1095—1100 quos coniungendos censeo cum Welckero, 1101/2. Denique diversorum poetarum manus dignoscere licet. Solonis sunt 1253/4. Distichon autem sequens fuerunt qui ab homine

illo inepto profectum putarent; hunc versus variasse specimen negotii sui oblaturum [1]). Quo perversius nihil cogitari potest. Quid enim? Compilatorem qui versiculos suos pro Theognideis vendat hic putas versibus Solonis appositis legentibus documentum praebuisse quomodo aliorum versus expilaret atque exscriberet et quasi clamasse 'en habes furem'? Immo, meo quidem iudicio variatio tam exigua est et tota forma distichi alterius ita comparata, ut hoc ab eodem poeta compositum cogitare possim, ab alio scriptum non possim. Qua de causa facere non possum quin eis adsentiar qui utrumque distichon Soloni adscribunt [2]). Ceterum Couat ipse Solonis verba sibi detexisse videtur vv. 1335/6 (p. 280). Mimnermi autem ingenium spirant vv. 1305—10. Porro vv. 1345—50 non dubito cum aliis, ut Bergkio, eidem poetae attribuere qui vv. 667—82 et 467—96 vel partem huius elegiae pepigit [3]). Vv. 1353—56 denique, unde haec quaestio egressa est, vere Theognideos habeo. Etiam in reliquis quin versus multi Theognidis lateant non dubito, verum accuratius significare non audeo. In quibusdam autem nomen Cyrni deletum esse potest [4]), alia a Megarensi non ad Cyrnum scripta esse putes, cum praeter Cyrniana etiam alia carmina videatur fecisse (cf. supra p. 8). Nolo hoc loco praetermittere originem Theognideam conicere de vv. 1235—40 Schneidewinum [5]), de vv. 1357—60 et 1367—72 Hartungium (p. 286).

Sed haec hactenus. Demonstrasse nobis videmur versibus Theognidis genuinis etiam adnumerari licere vv. 1353—56. Itaque cum in eis quae deinceps tractaturi sumus, partes diversae fidei distinere nobis proposuerimus, versus cunctos,

---

[1]) Rintelen p. 38 sq.; van der Mey p. 33; van Herwerden p. 16; Hiller *Jahrbüch.* p. 470 (cf. *Jahresber.* 1888 p. 157); Couat p. 280; Corsenn p. 8.

[2]) Bergk ad v.; Hartung p. 96; Nietzsche p. 186 not. 14; H. Schneidewin p. 39; Flach p. 403 adn. 1.

[3]) Hunc Euenum fuisse mihi persuasi speroque aliquando occasionem hoc demonstrandi me nacturum esse.

[4]) Vide Bergk p. 314 sq.

[5]) P. 38 sq.; cum quo facit Flach p. 403 not. 1.

exclusis solis 1071—74, 1081a—82b, 1109—14, 1161/2 (16 vv.)[1]), in quattuor partes distribuimus quas litteris ABCD signamus.

Atque sub litt. A complectimur elegias pleniores quas sphragide, nomine Cyrni, usus poeta ipse suas esse significaverit. Sunt autem vv. 19—26, 27—38, 39—42, 43—52, 53—60, 61—68, 69—72, 79—82, 87—92, 101—4, 119—28, 133—42, 173—78, 183—92, 213—18, 237—54, 319—22, 323—28, 337—40, 355—60, 549—54, 805—10, 811—14, 833—36, 897—900, 1171—76, 1197—1202, 1353—56; quorum summa est 188 vv.

Sub B comprehendimus disticha singula (monelegia quae vocavimus) item nomine Polypaidis insignita, ut quae non ab omni suspicione vacent. Sunt haec: 75/6, 77/8, 117/8, 129/30, 131/2, 143/4, 147/8, 149/50, 151/2, 159/60, 179/80, 181/2, 219/20, 233/4, 235/6, 299/300, 329/30, 331/2, 333/4, 335/6, 361/2, 371/2, 409/10, 411/2, 539/40, 541/2, 543/4, 631/2, 653/4, 655/6, 817/8, 819/20, 821/2, 895/6, 1027/8, 1037/8, 1103/4, 1133/4, 1177/8, 1179/80, 1217/8, 1219/20, 1221/2, 1223/4, 1225/6. Quae numerum 90 versuum complent.

Litt. C ea significavimus quae restant ex libro α, nimirum ubi segregavimus ea quae Tyrtaei sunt 935—38, 1003—6, Mimnermi 793—96, 1017—22, Solonis 153/4, 227—32, 315—18, 585—90, 719—28 (46 vv.). Haec pars continet 906 vv.

Litt. D denique notentur versus qui in ἐλεγείων β leguntur exceptis vv. 1253/4 (sine dubio Solonis) et 1353—56. Versus enim 1255/6 et 1305—10 melius habemus in ceterorum grege relinquere. Summa est horum 153.

[1]) Hos enim formam variatam et spuriam aliorum esse docuimus.

Caput III.

Sequitur ut de vocali longa vel diphthongo in voce exeunte ante vocalem insequentem correpta dicendum sit et quaerendum in hac re prosodiaca num certas quasdam leges Theognis observaverit, unde fortasse hos illos versus adulterinos esse efficiatur. Atque ut quid Theognidem deceat quid non, iudicari queat, facere non possumus quin etiam usum poetarum aetate superiorum et inferiorum consideremus. Iam observatum est a Kaibelio et Dielsio[1]), poetas elegiacos antiquiores non nisi certis versus sedibus corripere solere. Sed opus erit rem totam denuo et accuratius tractare et materiam universam lectoribus proponere.

Priusquam autem de metro elegiaco agamus, pauca de hexametro heroico praemittenda sunt, quo melius quid discriminis intercedat inter hexametrum elegiacum et epicum cognosci possit. Qui de homerico usu adhuc quaesiverunt Hartel et Grulich[2]) maxime id egerunt, ut quomodo vocales finales quae corripi viderentur pronuntiandae essent docerent. Ostenderunt viri docti diphthongos *αι*, *οι*, *ει*, *ου*, *ευ* aliquanto saepius ante verba a vocali incipientia collocata corripi quam vocales *ω* *ῳ* *η* *ῃ*. Hiatus huius generis, ut significatione saepius usurpata hic utar, quamquam re vera hiatus non est[3]) — nonnulli etiam hiatum debilem appellant — hos numeros invenit Grulich p. 4: exstant exempla vocalium correptarum *αι*: 4429; *οι*: 2096; *ει*: 506; *αυ*: 3; *ου*: 489; *ευ*: 103; *ω*: 172;

---

[1]) Kaibel Philodemi Gadarensis epigrammata (index schol. Gryphisw. aest. 1885) p. IV—VI. — Diels in Hermae vol. 23 p. 281 sq. Idem vir doctus in lectionibus de poetis lyricis habitis de re docere solet, cui permultum debeo.

[2]) Hartel *Homerische Studien* II (*Berichte der Wiener Akad.* vol. 76 p. 328 sqq.) et III (vol. 78 p. 7 sqq.); O. Grulich de quodam hiatus genere quaestiones in Homeri carminibus institutae (diss. inaug. Halis 1876).

[3]) Quae Grulich p. 20 sq. ponit, nihili sunt. Cf. Christ *Metrik*[2] § 186 et 232. Recte Boekh de metris Pindari p. 102.

ῳ: 340; η: 247; ῃ: 162; ᾱ: 38; ᾳ: 4 [1]). Haec observatio ipsa sane magni momenti est. Videtur etiam causa quadam, videlicet in natura vocalium posita, adductus Homerus esse ut diphthongos quam vocales longas corripere mallet. Hanc causam in quaestione sagaciter instituta Hartel qua est doctrina et sensu rerum metricarum subtili edocere conatus est, cum contenderet diphthongorum *αι, οι, ει, ου, ευ* vocalem alteram in semivocalem transisse, scil. verba quae exarata sunt *ἔσχατοι ἀνδρῶν* sonuisse *ἔσχατο-jανδρῶν* (vel *ἔσχατοĭ-jανδρῶν*), item quae leguntur *ἥν που ἀκούσῃ* pronunciata fuisse *ἥν πο-ϝακούσῃ* (vel *ἥν ποῦ-ϝακούσῃ*). Acceperunt viri docti sententiam quod videam critici omnes, Grulich, Christ, Meyer, Rossbach et Westphal [2]). Hartel igitur inde profectus ut causam correptionis inveniret, eo pervenit ut correptionem plane tolleret. Nam si pronunciatur *ἄνδρα μο-jέννεπε*, non iam vocalis longa corripitur omnisque hiatus sublatus est.

Eodem studio Grulich longius provectus vocales longas *ω ῳ η ῃ* quae illa ratione removeri non poterant, cum vocali brevi subsequente per synizesim coniungendas censuit (p. 60 sqq.), ut *Κρήτῃ 'ν εὐρείῃ* pro *Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ* legeremus; porro *ι* inter consonantem et vocalem in *j* mutari vult, *δεξjῇ ἠσπάζοντο, οἳ βjῇ εἰν ἀγορῇ* etc., ubi pro hiatibus licitis novi hiatus foedissimi oriuntur. Quin etiam monstra versuum caesura legitima carentium non veritus est creare:

Φ 483: *τοξοφόρῳ περ ἐούσῃ 'πεί σε λέοντα γυναιξίν.*

Quae enim ad difficultatem tollendam p. 63 sq. profert, nullo modo probanda sunt. Pauca exempla verae correptionis Homero reliquit, nempe ea quae molimina viri docti irriderent, ut *ἡμένῃ ἐν βένθεσσι.* Vides quo studium ab Hartelio susceptum duxerit. Mea quidem sententia dubium esse non potest,

---

[1]) Cf. Hartel II p. 331.

[2]) Grulich p. 21; Christ *Metrik* [2] § 35; Meyer *Jahrb. f. Phil. u. Pädag.* 111 p. 447, *griech. Gramm.* [2] § 154; Rossbach u. Westphal *Theorie der musischen Künste* [3] III 1 p. 122 sqq.

quin exempla illa vocalium ω ῳ η ῃ etc. pro veris correptionibus accipienda sint ubi, fortasse vi arsis, vocali longae paulum temporis detractum sit vocali insequente. Haec igitur Homero non detorquenda sunt [1]).

Sed etiam de Hartelii sententia quamvis magnam speciem habeat, confiteor mihi aliquid dubitationis remanere. Verum cum difficile sit viro tantae auctoritatis obloqui, praesertim cum in rebus talibus non adeo versatus sim, modeste dubitationes obiectas velim. Haec autem sunt quibus ad sententiam illius accedere prohibeor. Si quis rem adeo novam introducere vult, gravissimis argumentis sententia sollemnis refellenda est demonstrandumque, rem necessario ita accipiendam esse, non aliter. Verum argumenta illius non magni momenti sunt atque potius demonstravit vocales illo modo pronunciari potuisse quam pronunciatas esse. Velut quod in interiore parte vocabulorum non raro diphthongos ante alias vocales mutatas esse in vocalem brevem et semivocalem evicit, hae tamen exceptiones sunt; plerumque diphthongi ante vocales collocatae pronunciationem peculiarem retinent. Hac re igitur non demonstratur diphthongos finales illum quem Hartel statuit sonum habuisse. Porro quod de prima thesi quinti pedis (II p. 376) et de secundis thesibus (II p. 375 et III p. 46) [2]) dicit, nihil valet. Immo in altera thesi persaepe id occurrit quo Hartelii sententia mihi cadere videtur, interpunctio. In libris α—ε quos exempli causa perlustravi (particula καί seclusa) in primo pede hiatus dactylici, ut hoc verbo utar, 123 leguntur, quorum 46 interpunctionem graviorem habent, i. e. fere tertia pars, 77 interpunctionem non habent; in quarto pede hiatus dacty-

[1]) Christ *Metrik*² § 46 ad Grulichii sententiam accessit.

[2]) III p. 46: *Dass eine solche Lautverbindung wirklich stattfand, stattfinden musste, geht daraus hervor, dass diese Erscheinung gerade dort ihren Sitz hat, wo sonst ein Einschnitt nicht geliebt oder geradezu verpönt ist. Mit Vorliebe wird die zweite Kürze oder Thesis durch einen Diphthong gebildet, ... denn die einzelnen Versfüsse sucht man so viel wie möglich zu verschlingen.*

lici 240 sunt, quorum 87 interpungunt, 153 interpunctione carent (i. e. prope 4: 7). Quodsi quis versus

δ 597 sqq. *αἰνῶς γὰρ μύθοισιν ἔπεσσί τε σοῖσιν ἀκούων*
τέρπομαι. ἀλλ' ἤδη μοι ἀνιάζουσιν ἑταῖροι
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ

vel β 181 sqq. *ὄρνιθες δέ τε πολλοὶ ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο*
φοιτῶσ', οὐδέ τε πάντες ἐναίσιμοι· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
ὤλετο τῆλ' etc.

recitat, facere non potest quin pausam faciat post verba *τέρπομαι* et *ἐναίσιμοι*; qui igitur pronunciari potest *τέρπομα-jαλλ'* et *ἐναίσιμο-jαυτάρ*?

Hoc etiam magis valet de caesura quae vocatur *μετὰ τρίτον τροχαῖον*. In sex libris illis undenonagies in prima thesi pedis tertii vocalis aut diphthongus ita corripitur, ut caesura trochaica existat. Dubitabimus opinor vehementer caesuram quasi tollere diphthongo dissoluta et *j* vel *ϝ* littera ad verbum sequens tracta, quomodo pausa non admittitur. Accedit quod locis viginti vis huius caesurae interpunctione gravi augetur, cum versibus undeseptuaginta interpunctio desit. Ut δ 107 sq.

τῷ δ' ἄρ' ἔμελλεν
αὐτῷ κήδε' ἔσεσθαι, ἐμοὶ δ' ἄχος αἰὲν ἄλαστον
κείνου etc.

nemo leget *ἔσεσθα-jεμοί*.

Quae cum ita sint, Hartelii sententiam libere confiteor mihi non probari, immo me acquiescere praecepto illo vetere ab Hartelio irriso (II. p. 10) q. e. vocalis ante vocalem in thesi dactyli corripitur. Quamquam hoc in diphthongis *οι* et *αι* multo magis poetae placuisse concedo quam in ceteris. Videtur sane natura harum diphthongorum multum ad licentiam illam declinavisse, ut diphthongus breviorem mensuram haberet. Ceterum *υ* diphthongorum *ου* et *ευ* nunquam mihi persuadebo munere consonantium functum esse, praesertim cum *ου* non nimio frequentius corripiatur quam *ῳ*, *ευ* vel rarius quam *η*, *ῃ*, *ω*.

Vereor ne longus fuerim de re. Verum hanc rem expediri necesse mihi videbatur, quippe cum pronunciandi ratio etiam ad poetas nostros elegiacos pertineat. De thesibus autem singulorum pedum etsi Hartel dicit discrimina non conspici (II p. 374), quod ut intelligatur tabulam correptionum in libris *Α—Δ* et *α—δ* exstantium subiunxit (p. 375), tamen nobis non inutile visum est etiam hoc accuratius considerare. Itaque totum Homerum excussimus exemplaque omnia collecta pedibus thesibusque singulis disposuimus. Quorum summam in tabulam contulimus infra subiectam (ubi numeri latini pedem, arabici thesim significant). Melius autem habuimus, ut apud Nonnum fecerunt Lehrs quaest. epicae p. 267 et Ludwich apud Rossbachium et Westphalium III 2 p. 77, correptiones particulae *καί* a ceteris secernere et seorsum tractare. Haec enim vocula propter crebritatem — cum omnino *αι* diphthongus 4429 locis corripiatur, horum 2411 particula occupat (Grulich p. 37) — legibus ceterarum vocum exempta suas sequitur.

		I		II		III		IV		V	
		1	2	1	2	1	2	1	2	1	2
A correptiones excepto *καί*	Ilias	417	503	119	155	460	113	5	969	250	354
	Odyssea	341	479	86	89	338	100	11	832	233	297
	hymni	63	73	20	4	51	15	2	178	19	42
	summa	821	1055	225	248	849	228	18	1979	502	693
	= %	12,4	15,9	3,4	3,7	12,8	3,4	0,3	30	7,6	10,5
B *καί* correptum	Ilias	30	104	40	74	236	536	39	2	105	172
	Odyssea	14	57	36	27	188	448	66	1	79	155
	hymni	6	9	6	7	34	133	5	0	8	20
	summa	50	170	82	108	458	1117	110	3	192	347
	= %	1,9	6,4	3,1	4,1	17,4	42,4	4,2	0,1	7,3	13,2

Ac primum quidem apparet numerum thesium primarum minorem esse quam secundarum. Hoc non modo in summa versuum, sed etiam in singulis libris eadem ratione conspicitur, ut casu hoc factum negandum sit [1]). Ratio autem quae intercedit inter hiatus trochaicos et dactylicos — respicimus autem partem A tabulae solam, correptiones voculae *καί* hic non curamus — haec est:

in Iliade	1251 : 2094	= 1 : 1,7
in Odyssea	1009 : 1797	= 1 : 1,8
in hymnis	155 : 312	= 1 : 2.

Deinde quamquam omnibus hexametri locis correptionem admitti videmus, tamen mirum quantum interest quo loco corripiatur, cum in hoc pede frequens, in illo admodum rarus sit hiatus. Atque ea causa disputationem nostram statisticam quam appellare solent, non inutilem fore spero. Perspicitur enim quasi sensus metricus poetae, videmus ubi versus pangenti tanquam sua sponte hiatus se obtulerit, quem locum anxie fugerit. Maxime ergo hiatus illos admissos elucet in thesi altera pedis quarti ante caesuram bucolicam (30 %), paulo rarius in utraque thesi pedis primi et thesi prima tertii. Atque in hac sede pedis tertii paene semper syllaba longa ita corripitur, ut post eam caesura oriatur, scil. ea quae vocatur *μετὰ τρίτον τροχαῖον* (‿́ ‿‿ ‖ ‿). Perraro post caesuram masculam vox monosyllaba corripiendo brevis fit (‿́ ‖ ‿‿ ‿), cum non amplius viginti sex exempla huius correptionis inveniantur ex 849 [2]); nisi est vox *καί*, quae suas leges sequitur et hunc locum paene maxime amat, qua de re infra. Proximus est frequentia correptionum pes quintus, quem 502 hiatus trochaicos, 693 dactylicos habere videmus. Multo minus autem hiatui debili apparet aditum patuisse ad pedem alterum totum

[1]) Hanc rem etiam observavit Hartel II p. 375 et III p. 46.

[2]) *Β* 762, *Ζ* 142, *Η* 111, Ι 124 = 266, *Κ* 451, *Λ* 608, *Π* 149, *Φ* 113, *Ω* 212. *δ* 71, *ζ* 153, *λ* 58, *ξ* 204, *π* 19, *ρ* 252 et 455, *υ* 163. Hymn. I 335, II 445 et 519, IV 17 et 46, VI 21, 29, 55.

et thesim alteram tertii pedis[1]); maxime denique vitatur in pedis quarti thesi prima. Hic quam non amatus fuerit, etiam magis inde apparet quod praeter formulas duas quae sunt *θεῶν* etc. *οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν* [2]) et *Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο* (α 241, ξ 371, υ 77) tribus locis solis conspicitur: Ω 67, ϑ 356, τ 196. Haec raritas cum eo explicanda videatur quod pedem quartum caesura trochaica incidere poetae epici quam maxime veriti sunt [3]), hinc quoque opinor sententiae illi Hartelianae quam impugnavimus aliquantum fidei detrahitur. Etenim si re vera diphthongi illo pronunciandi modo cum verbis insequentibus coaluissent nec pausa quaedam quamvis exigua exstitisset, non erat cur hac hexametri sede hiatum poetae tam anxie procul haberent.

Particulam *καί* quin iure a correptionibus ceteris segregaverimus, nemo dubitabit cum hanc voculam aliis legibus uti atque verba cetera viderit. Nam paene vetita est eo loco ubi verba alia praecipue corripi solent, scil. in pedis quarti thesi altera (ter correptio ibi admissa est Γ 227, Ρ 719, φ 345) — causa autem est, quod si ibi corriperetur facile caesura trochaica oreretur quae quantum fieri potuit vitata est — amat autem maxime pedis tertii thesim primam (post caesuram masculam) et alteram [4]), cum ceterorum vocabulorum in hoc pede hiatus dactylici inveniantur tantum 228, hiatus trochaici post caesuram masculam 26. Non raro etiam in pede quinto particula correpta legitur. Haec quidem de voce *καί*.

Fortasse ex numeris tabulae nostrae iure quis coniecerit legitimas hiandi sedes olim fuisse pedem primum, quartum, primam thesim tertii pedis, ubi nunc caesura conspicitur, et hoc statu pristino non parum adiuvari Useneri in libello q. i.

---

[1]) In altera thesi pedis tertii vox *ἐπεί* correpta numero longe ceteris praestat, cum 98 locis hiatum passa sit.

[2]) *θεοὶ τοὶ Ὄλυμπον ἔχουσιν* ξ 394, σ 180; *θεῶν οἳ Ὀ. ἐ.* Ε 890, Ν 68, Ω 427, ζ 240, ϑ 331, τ 43; *θεοῖς οἳ Ὀ. ἐ.* μ 337, hymn. I 498 = 512; *θεοὺς κτλ.* Ε 404.

[3]) Christ *Metrik*² p. 186.

[4]) Cf. Hartel III p. 46.

Altgriechischer Versbau ingeniose explicatam de hexametro ex duobus hemistichiis paroemiacis conglutinato sententiam. Nam cum in corripienda diphthongo vel vocali, ut nos rem factam credimus, quinque moris spatium quattuor morarum tribuendum esset, contentio vocis quaedam desiderabatur, quae facilius ferri poterat spiritu adhuc recenti, scil. initio utriusque hemistichii. Atque in tertio quidem pede post thesim tunc omnino non vocalis breviore mensura pronunciabatur, si re vera finis versiculi ibi erat. Postero tempore autem cognitione pristini status exstincta fieri poterat, ut illa libertas etiam ad ceteros pedes referretur. Sed totam hanc suspicionem non nimis validis stare pedibus haud ingnoro.

Verum satis iam multa de Homero. Quod attinet ad posteriores poetas epicos, de Hesiodi usu correptionis egit Rzach *hesiodische Untersuchungen (Progr. des Gymn. der Kleinseite zu Prag* 1875*)* p. 11—18 [1]), de Nonno Lehrs quaest. epic. p. 264 sqq. et Ludwich apud Rossbachium et Westphalium *griech. Metrik*[3] III 2 p. 77. Sed illa accuratius cognoscere nihil pertinet ad rem nobis propositam.

Veniamus nunc ad elegiarum scriptores. De quibus quid statuendum sit quo melius a legentibus cognoscatur, tabellam correptionum addere animum adduxi, in quam recepi omnes elegiographos in Bergkii Poetis lyricis graecis editos, addidi praeterea, ut posteriorum mores comparentur, epigrammatum scriptores Alexandrinae aetatis priores quosdam, scil. omnes quos Hartung in volumine altero Elegiacorum graecorum collegit, praeterea Theocriti epigrammata (ed. Fritzsche-Hill.) et Callimachi (ed. Wilam.), in summa tres et quadraginta poetas Alexandrinos. Ut hoc non taceam hoc loco: de nonnullorum poetarum Anthologiae Palatinae usu iam quaesitum est. Kaibel enim l. c. Callimachum tractavit, Meleagrum, Antipatrum Si-

---

[1]) Etiam apud Hesiodum diphthongi saepius corripiuntur quam vocales longae; numeros enim hosce invenit Rzach: *αι*: 132 (excepta voce *καί* cuius correptae 268 exempla exstant); *οι*: 100; *ει*: 35; *ου*: 74; *ευ*: 2 = 343; *η*: 34; *ῃ*: 30; *ω*: 7; *ῳ* 46 = 117.

donium, Philodemum Gadarensem; de Crinagora egit Rubensohn in editione sua[1]).

Exclusi ex tabellis meis particulam *καί*, id quod non vituperatum iri puto secundum ea quae supra exposuimus. Cuius particulae usus cognosci potest ex indice hoc:

hexameter	I		II		III		IV		V	
	1	2	1	2	1	2	1	2	1	2
Callinus — Theocr. Chius	2	5	6	4	12	60	2	0	5	24
Alexandrini	2	3	3	0	9	49	2	0	4	9

pentameter	I		II		IV		V	
	1	2	1	2	1	2	1	2
Callinus — Theocr. Chius	6	7	1	0	0	8	0	0
Alexandrini	0	11	1	1	0	8	0	0

Voculam maxime amare thesim alteram pedis tertii et quinti hexametri, pedis primi et quarti pentametri videmus, praeterea thesim primam pedis tertii hexametri, in ceteris omnibus versus sedibus minus frequentem esse, aditum non praeberi in hexametro ad alteram thesim pedis quarti (simil. atque apud Homerum), in pentametro ad primam thesim quarti pedis et totum quintum. Causa vero cur *καί* quam maxime in fine pentametri poetae fastidiverint, aperta est, si quas leges illi in verbis ad alterum hemistichium eligendis secuti sint respicimus. Cf. quae de structura pentametri exposuit Langen de disticho Graecor. elegiaco p. 26 sqq.

[1]) M. Rubensohn: Crinagorae Mytilenaei epigrammata (Berolini 1888) p. 41 sqq. Sed cf. Knaackium ap. Susemihlium *Geschichte der griech. Litteratur in der Alexandrinerzeit* II p. 265 not. 216.

	hexameter									
	I		II		III		IV		V	
	1	2	1	2	1	2	1	2	1	2
Callinus								2		
Archilochus		1						6		1
Tyrtaeus	1	1			1†			10		
summa	1	2	0	0	1†	0	0	18	0	1
Asius										
Mimnermus								3		4
Solon	1	1				1		16	1	4
Sappho								1		
Erinna								1		
Demodocus						1		2	1	1
Phocylides								1		
Xenophanes						1		4		
Anacreon		1						1		1
Theognis A		4		1				18		6
B		1		1	2			8	2	2
C	10	7	2	3	8	2		59	5	20
D	6	4		1				10	4	1
summa	17	18	2	6	10	5	0	124	13	39
Simonides Ceus	1	2						14	2	1
Sophocles								1		
Ion		1						2		
Empedocles										1
Dionysius Chalcus								1		
Euripides										
Euenus										
Critias				1						1
Antimachus										
Plato								2		
Aristoteles										1
Crates								2		2
Theocritus Chius		1								
summa	1	4	0	1	0	0	0	22	2	6

pentameter								summa versuum	summa correptionum	
I		II		IV		V			in thesi prima	in thesi altera
1	2	1	2	1	2	1	2			
2	2							25	2	5
	2				2			46	0	12
	3				8			145	2	22
2	7	0	0	0	10	0	0	216	4	38
					1			4	0	1
	1			1	9			84	1	17
1	2				10			219	3	34
								12	0	1
								20	0	1
								4	1	4
								6	0	1
					1	1		68	1	6
	2				3			46	0	8
2	2			1	9			188	3	40
1	1			2	4			90	7	17
7	12	2		5	33	1		906	40	136
1	1			1	8			153	12	25
12	21	2	0	10	78	2	0	1800	68	291
3	2			1	6			300	7	25
								7	0	1
					1			40	0	4
								6	0	1
								24	0	1
					1			6	0	1
				1				21	1	0
	1				1			51	0	4
					1			9	0	1
1				1				104	2	2
								13	0	1
				1	1			17	1	5
					1			4	0	2
4	3	0	0	4	12	0	0	602	11	48

	hexameter									
	I		II		III		IV		V	
	1	2	1	2	1	2	1	2	1	2
Addaeus		1			1			2		
Archelaus										1
Simmias Rhodius		1						3		2
Philetas					1			2		
Diotimus Athen.		2						3		
Phalaecus									1	
Asclepiades		1						7	2	1
Posidippus		4						6		1
Anyte		3	2	1				2		1
Moero	1							1		
Nossis			1	1	1			1		1
Hedyle					1					
Hedylus					1			2		1
Hermesianax						1		4	1	1
Alexander Aetolus					1			3		3
Nicias	1				1			1		
Theaetetus		1		3	1			4		
Menecrates Smyrn.								2		
Leonidas Tarentin.	6	5		1	12		1	25	5	6
Crates								1		
Perses		2						2	2	1
Hegesippus		1						3		
Phaedimus								1		
Pamphilus										1
Herodicus					1			2		
Nicomachus								1		
Callias Argivus								1		
Theocritus Siculus	2	4			2			5	1	1
Callimachus		2						2		
summa	10	27	3	6	23	1	1	86	12	21

pentameter								summa versuum	summa correptionum	
I		II		IV		V			in thesi prima	in thesi altera
1	2	1	2	1	2	1	2			
1				1				46	3	3
	1							16	0	2
		1						31	1	6
					1			32	1	3
1	2							48	1	7
	2							16	1	2
2	1				3			174	4	13
1	2			1	2			133	2	15
2	2			1				90	5	9
1								8	2	1
	1							48	2	4
								5	1	0
								81	1	3
1					2			99	2	8
2					3			62	3	9
				1				36	3	1
2	1			1	2			48	4	11
	1							10	0	3
3	3			2	8			606	29	48
								4	0	1
2				1				42	5	5
1								26	1	4
								12	0	1
								8	0	1
								6	1	2
								6	0	1
								4	0	1
	1				2			106	5	13
1								270	1	4
20	17	1	0	8	23	0	0	2083	78	181

In vocalibus quae in fine verborum correptionem ante vocalem admiserunt, principem locum tenent diphthongi *αι* et *οι*, item atque apud Homerum. En habes numeros elegiacorum inde a Callino usque ad Theocritum Chium (*a*) et Alexandrinorum quos selegimus (*b*):

	αι	οι	ει	αυ	ευ	ου	ω	ῳ	η	ῃ	ᾱ	ᾳ
a)	197	82	31	0	5	42	14	24	35	18	4	2
b)	77	56	14	0	3	31	14	16	22	5	6	3
	274	138	45	0	8	73	28	40	57	23	10	5

Hinc Hartelium valde errare perspicuum est quippe qui hiatus post tempora homerica deinceps magis magisque diphthongis reservari dicat (III p. 8). Etenim ratio quae intercedit inter *αι* (*καί* omisso) *οι ει ου ευ* in una parte posita et *ω ῳ η ῃ ᾱ ᾳ* in altera, apud Homerum (Iliad. et Odyss.) sec. Grulichium est 5,2 : 1, apud Hesiodum sec. Rzach. 3 : 1 (vid. not. nostr. 1 p. 52), apud elegiacos antiquiores 3,7 : 1, apud Alexandrinos 2,8 : 1. Itaque copia vocalium longarum pro numero diphthongorum magis crescit quam minuitur. Quastio autem num singula vocalium genera certis versus pedibus quasi alligata essent a nobis instituta, ut Hartel de Homero fecit III p. 7, inutilis evasit eventusque nullius.

Hoc autem vere Hartel posuit l. c. p. 8, apud elegiacos numerum correptionum in universum deinceps diminui. Profecto quo quisque poeta aetate inferior erat, eo magis hiatum evitare et restringere studuit[1]). Nam si comparamus numerum versuum cunctorum cum hiatibus (ubique omisso *καί*), haec ratio exsistit:

Ilias	15693	vv.,	3345	correptiones	= 4,7 : 1
Odyssea	12110	„	2806	„	= 4,3 : 1
hymni	2325	„	467	„	= 5 : 1
Callinus—Tyrtaeus	216	„	52	„	= 4,1 : 1
Asius—Theognis	1800	„	353	„	= 5,1 : 1

---

[1]) Idem contendit Goebel de corrept. att. p. 51 thes. III.

Simon.C.—Theocr. Chius	602 vv.,	69 correptiones	=	8, 7 : 1
Alexandrini	2053 „	259 „	=	8 : 1.

Quod tamen apud antiquissimos elegiacos copia magis crevisse videtur, mero casui tribuendum puto; si plures eorum versus haberemus, ratio fortasse alia esset. Ille quo delectum Alexandrinorum concludo, Callimachus magna severitate adhibita maxime veritus est versus continuitatem hiatu interrumpere. Quod recte monuit iam Kaibel l. c. p. V. Poeta enim delicatus in epigrammatum versibus ducentis septuaginta non nisi quinquies [1]) corripuit, quater in altera thesi (5, 9; 5, 11; 13, 1; 63, 3), semel in prima 62,2, ubi Wilamowitzii coniectura ἄγκειτ' Ὀρτυγίῃ pro κεῖται ἐν Ὀρτυγίῃ non necessaria, itaque falsa est. Immerito hanc Kaibel recepit, studio pravo commotus hiatus trochaici omnis a Cyrenaico abiudicandi. Hic est enim mirus error Kaibelii. Unde tandem sequitur illum hiatum a poeta alienum esse? Si quater dactylicum habet,

[1]) Idem in hymno quinto ter corripuit, non semel ut Kaibel dicit: in hexam. IV 2 bis (89, 99), in pent. IV 2 semel (30). — Etiam hymnis reliquis operam navavi, de quibus cum quaererem mira res effici videbatur, scil. Callimachum duplici modo hexametrum tractasse vidi. Pono correptiones hexametrorum pedibus dispositas (nimirum particula καί omissa):

a) hymn. 3, 4, 6: I1: 17. I2: 22. II1: 0. II2: 0. III1: 7. III2: 0. IV1: 0. IV2: 57. V1: 4. V2: 13.

b) hymn. 1, 2: I1: 6. I2: 1. IV2: 9.
„ 5: I1: 0. I2: 0. IV2: 2.
epigrammata: I1: 0. I2: 2. IV2: 2.

In parte *a* hiatus more homerico admissus est (nisi quod pes alter correptione carere videtur; scribunt enim hodie 4, 160 et 6, 87 δήπειτα per crasin [vid. Schneid. ad IV 160, excurs. p. 289], sed cf. Hom. α 294 = Ο 163, Υ 338, hymn. II 558, 563; IV 91; Hes. opp. 292 etc.) nec ita raro; nempe vv. 732 exhibent correptiones 120 = 6, 1 : 1; contra in parte *b* soli primus et quartus pes hiatum habent, atque hoc multo rarius, cum hexametri 415 bis et vicies hiatum admiserint = 19 : 1. Illud quod apertum est discrimen, num casui tribuendum sit an consilio poetae, qui alio tempore homericum usum secutus sit, alio legibus severis sua sponte sibi impositis hiatum magis evitare studuerit et duobus versus locis certis destinaverit, equidem disceptare non audeo, iudicent qui legent ut cuique videbitur. — Cf. etiam C. Prahl quaestiones metricae de Callimacho (diss. Halens. 1879) p. 47.

semel trochaicum, inde hunc illicitum esse colligis? Recte hoc faceres si ducenties post alteram, semel post primam thesim hiarent epigrammata. Ab eadem opinone falsa quasi iam demonstrata profectus etiam Meleagri quosdam locos non recte tractat Kaibel et controversiam de Antipatris dirimere conatur[1]).

Sed ut hic paullum consistamus quo pervenimus, sane observare licet apud elegiacos hiatus trochaicos multo superari dactylicis. Nam ratio inter numeros utriusque generis correptionum intercedens, quae nimirum hic quoque casu apud singulos variare videtur, est, ut etiam hic poetas quadripartito distineamus, 1 : 9,5[2]), 1 : 4,3, 1 : 4,4, 1 : 2,3, cum apud Homerum vacillaret inter 1 : 1,7 et 1 : 2.

Age quaeramus nunc de hexametri sedibus singulis. Ac de primo quidem pede in cuius thesi utraque hiatus permittebatur, nihil est quod adnotemus. Contra ad thesim primam pedis alterius hiatui aditum non fuisse iure affirmabimus, cum illic neminem poetarum elegiacorum correptionem sibi indulsisse videamus usque ad Alexandrinorum tempora, locosque duos ex illa Theognidis parte dubiae fidei quam littera C significavimus quibus solis legatur, certo aut corruptos esse aut spurios iure contendemus. Sunt autem vv.

95: *τοιοῦτός τοι ἑταῖρος ἀνὴρ φίλος οὔτι μάλ' ἐσθλός*
et 459: *οὐδ' ἄγκυραι ἔχουσιν· ἀπορρήξασα δὲ δεσμά.*

Quoniam in v. 459 lectio non depravata videtur esse, carmen 457—60 a poeta Megarensi abiudicare non dubito. Carmen vero quod legitur vv. 93—96 cum stilum Theognidis prodere videatur, videndum possitne medela adhiberi. Conicio autem vocem *τοί* a librario quodam additam esse lacunae supplendae

---

[1]) Pendet ex Kaibelio Susemihl *Litteraturgesch.* I p. 366 not. 74; contra de veritate illius Kaibelii sententiae dubitare videtur Stadtmueller *Berl. phil. Wochenschrift* 1892 p. 235.

[2]) Haec raritas trochaici hiatus quae apud vetustissimos esse videretur, causa fuit, cur ab illis originem suae severitatis Callimachum traxisse Kaibel putaret.

causa, cum olim exaratum fuerit *μέν*, et vv. 97—100 copulandos esse cum praegressis [1]), ut sibi respondeant *τοιοῦτος μὲν ἑταῖρος* et *ἀλλ' εἴη τοιοῦτος*. — Uno verbo moneam apud Solonem 27, 9 Bergkium mala coniectura scripsisse *ὡρίου* pro eo quod verum est *ὥριον* [2]).

Apud Alexandrinos haec exempla correptionis habemus:

Anyte 1, 3 (A. P. VII 646): *ὦ πάτερ, οὔ τοι ἔτ' εἰμί, μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει*

ead. 14, 3 (VII 724): *ἀλλὰ καλόν τοι ὕπερθεν ἔπος τόδε πέτρος ἀείδει*

Nossis 6, 1 (VI 275): *χαίροισάν τοι ἔοικε κομᾶν ἄπο τὰν Ἀφροδίταν.*

Has poetrias cum in particula *τοί* magis homericum usum secutas verisimile sit, omni mutatione abstinendum puto.

Elegiaci igitur antiquiores hiatum illum trochaicum pedis secundi fugerunt; qua re discrepant ab versu homerico. Sed iam diu observatum est condicionem hexametri elegiaci aliam esse atque homerici [3]), quod eo referendum est quod elegiae primitus ad tibiarum sonum canebantur [4]). Tibiae autem usus secum ferebat maiorem severitatem. Postea autem elegiae magis magisque in usum legentium scribi coeptae sunt; non mira igitur illa Alexandrinorum licentia ad consuetudinem homericam rediens. Eo magis carmen syllogae Theognideae 457—60 aetati inferiori adscribere licet.

Ambigua autem res est de correptione vocalium in altera thesi secundi pedis. Hic enim illa etiam in Theognidis parte A invenitur v. 321:

εἰ δὲ θεὸς κακῷ ἀνδρὶ βίον καὶ πλοῦτον ὀπάσσῃ.

---

[1]) Ut nuper Hiller fecit in Anthol. lyrica.

[2]) Kaibel p. V not. 1.

[3]) Naturam legesque metri elegiaci bene exposuit Langen in libello saepius a nobis laudato q. i. 'de disticho Graecorum elegiaco'.

[4]) Cf. Christ *Metrik* [2] § 250 et 251; Usener *Versbau* p. 117 sqq.

Cetera huius generis exempla sunt:

Theog. 235 (B) *οὐδὲν ἐπιπρέπει ἡμῖν ἅτ' ἀνδράσι σῳζομένοισιν*
— 261 (C) *οὔ μοι πίνεται οἶνος, ἐπεὶ παρὰ παιδὶ τερείνῃ*
— 287 (C) *ἐν γάρ τοι πόλει ὧδε κακοψόγῳ ἁνδάνει οὐδέν*
— 597 (C) *δὴν δή, παῖ, φίλοι ὦμεν· ἀτάρ τ' ἄλλοισιν ὁμίλει*
— 1243 (D) *δὴν δή, παῖ, φίλοι ὦμεν· ἔπειτ' ἄλλοισιν ὁμίλει*
Critias 3,1 *καὶ νῦν Κλεινίου υἱὸν Ἀθηναῖον στεφανώσω*
Anyte 16, 3 (A. P. VII 208) *τύψε· μέλαν δέ οἱ αἷμα ταλαυρίνου διὰ χρωτός*
Nossis 5, 1 (VI 132) *ἔντεα Βρέττιοι ἄνδρες ἀπ' αἰνομόρων βάλον ὤμων*
Theaetet. 2, 3 (Diog. 8, 48) *Πυθαρόρης ἐγώ εἰμι· τὰ δ' ἔργα μου εἴ τιν' ἔροιο*
— 4, 3 (VI 357) *Νικάνωρ ἐγώ εἰμι, πατὴρ δέ μοι Αἰπιόρητος*
— 4, 5 *καὶ μὲν ἐγὼ Φίλα εἰμὶ καὶ ἐστί μοι οἶτος ἀδελφός*
Leon. Tar. 51,3 (IX 318) *καὶ λαχανηλόγῳ ἔσσο καὶ αἰγινομῆϊ προσηνής.*

Iam exoritur quaestio sintne haec omnia auctoribus relinquenda an tollenda concedendumque hiatum illic poetis licuisse. Ac de Critia quidem et Alexandrinis non dubito quin licuerit, contra de Theognide, cum omnes poetae superiores illud evitaverint, correptiones removere malim. Atque miro casu accidit quod v. 321 verbis *θεός* et *κακῷ* transpositis formam carminis lucramur multo aptiorem ut mihi quidem videtur:

Κύρν', ἀ γ α θ ὸ ς μὲν ἀνὴρ γνώμην ἔχει ἔμπεδον αἰεί,
τολμᾷ δ' ἔν τε κακοῖς κείμενος ἔν τ' ἀγαθοῖς.
εἰ δὲ κ α κ ῷ θεὸς ἀνδρὶ βίον καὶ πλοῦτον ὀπάσσῃ,
ἀφραίνων κακίην οὐ δύναται κατέχειν.

Monelegium 235/6, quod iam aliis de causis nobis suspectum videbatur (cf. supra p. 21), emendationem non patitur. Itaque hoc adulterinis adscribo nec minus cetera carmina versus quos nominavi 261, 287, 597 continentia, scil. 261—66,

287/8, 597/8. Cadit hoc etiam in distichon alterius libri Theognidei; quod non repugnat sententiae nostrae de sinceritate libri, qui quidem librum versus poetarum diversorum continere arbitremur, ut supra expositum (p. 42 sq.).

Veniamus nunc ad pedem tertium. Cuius thesis prima correptionem non passa est ante Theognidem. Nam quod apud Tyrtaeum 10, 11 scriptum videmus

εἰ δ'οὕτως ἀνδρός τοι ἀλωμένου οὐδεμί' ὤρη

lectio corrupta est, cum *τοί* in enuntiato conditionali locum non habeat; vide virorum doctorum pericula a Bergkio notata. Mihi maxime id placet quod amicus quidam Thierschii proposuit:

εἰ δ'ἄγεθ' οὕτως ἀνδρὸς ἀλωμένου οὐδεμί' ὤρη.

Exempla hiatus trochaici vera sunt Theogn. 159, 299 (B); 341, 369, 425, 557, 961, 965, 1115, 1139 (C); Addaeus 4, 1 (IX 303); Philetas 1, 1 (Stob. flor. 124, 26); Nossis 10, 1 (VI 353); Hedyle v. 3 (Athen. VII 297 B); Hedylus 8,3; Alexander Aet. 1, 23; Nicias 9, 1 (VII 200); Theaetetus 3, 7 (VII 444); Leonid. Tar. 2, 1 (VI 202); 7, 9 (VI 288); 12, 7 (VI 300); 22, 3 (VI 131); 43, 3 (IX 322); 54, 5 (VII 67); 62, 1 (VII 480); 64, 7 (VII 472); 72, 5 (VII 731); 76, 3 (VII 656); 85, 1 (VII 504); 86, 7 (VII 506); Herodicus v. 1 (Athen. V 222 A); Theocritus Sicul. [8, 1], [11, 3]. In quibus exemplis usum homericum agnoscimus, scil. post vocalem finalem correptam caesura trochaica cadit. Praeterea sola vox *καί* hoc loco corripitur, caesura semiquinaria antecedente. Unus versus invenitur ubi post caesuram masculam alia vox corripitur, Hedyli (8, 3 Hart.) apud Athen. VIII 345 A, ubi omnes Musurum secuti altero *ἤ* addito legunt:

θὲς μόνον ἤ ζώνην < ἢ > ἐνώτιον ἤ τι τοιοῦτον.

Hic cum alterum *ἤ* necessarium sit, dubito utrum hoc unicum exemplum poetae relinquam, praesertim cum etiam

apud Homerum, quamvis raro, talis correptio inveniatur (cf. supra p. 50)[1]), an potius elisionem statuam ἢ 'νώτιον[2]).

Iam illud quidem perspicuum est, antiquissimos elegiarum scriptores magno opere discrepare et ab Homero et ab elegiographis posterioribus. Neque enim mero casu accidisse videtur quod apud Callinum, Archilochum, Tyrtaeum, Asium, Mimnermum, ut hos eligamus, nunquam in caesura pedis tertii trochaica correptio invenitur. Etenim cum ex versibus centenis in Iliade illic hiatum habeant terni, in Odyssea totidem, in hymnis bini, exspectandum erat apud elegiacos illos, ex quorum elegiis versus 304 extant, octo vel novem exempla correptionis occurrere. Occurrit autem nullum. Videtur hoc quoque ad tibiae usum redire; quae cum ab alio caneretur, non a poeta, illius modulationi parendum erat, ut in caesura spatium intermittendi non in arbitrio recitantis fuisse videatur intervallo ictuum pari servando; contra rhapsodo carminis epici qui ipse citharam tractabat, ad arbitrium et ut sensus verborumque vis poscebant, modo spiritu celerato modo remisso recitare licebat.

Sumpserit fortasse quis hoc sibi iuris, cum caesurae trochaicae istius modi ubi vocalis corripitur, in Theognidis parte A non inveniantur, ut omnes quae in B et C leguntur, a Megarensi abiudicari iubeat. Equidem quam in partem res disceptanda sit vehementer ambigo. Nam hiatus trochaicus etiam in iis elegiis exstat, quae quamvis sphragide Cyrni carentes tamen ingenium Theognidis spirare videntur, 341—50 et 367—70 (cf. p. 16 et 17). Has Theognidi adimere nolim. Si continget ut vv. 341 et 369 probabiliter emendemus, ceteros versus hac de causa suspectos quique sanari nequeant, sine ulla dubitatione e Theognide eicere li-

---

[1]) Vox ἢ in thesi prima pedis tertii ante vocalem correpta legitur sex locis: *Κ* 451, *Φ* 113, *λ* 58, *ϱ* 252, hymn. II 519, VI 29.

[2]) Item apud Callim. hymn. 6, 86 ἢ 'ν Ὄϑρυϊ legere malim.

cebit [1]). Sin aliter, nihil de horum omnium origine statui potest potiusque putandum iam Theognidem hiatum istum sibi indulsisse [2]). Ac iam confiteor me non semel dubitasse necessarione ex elegia ad Cyrnum scripta 237—54 concludendum sit elegias Theognidis ad tibiarum sonum cantatas esse, ut plerique viri docti putaverunt [3]). Profecto verba

Σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντον
πωτήσῃ καὶ γῆν πᾶσαν ἀειρόμενος
ῥηϊδίως

eo spectant quod poeta elegiis nomine Cyrni notandis nomen pueri per totam terram et in omnia tempora notum clarumque fecit. Item verba *ἀλλά σε πέμψει ἀγλαὰ Μουσάων δῶρα ἰοστεφάνων* pertinent ad elegias Theognidis. Quid autem verba significent

θοίνης δὲ καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσσῃ
ἐν πάσαις, πολλῶν κείμενος ἐν στόμασιν·
καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις νέοι ἄνδρες
εὐκόσμως ἐρατοὶ καλά τε καὶ λιγέα
ᾄσονται

quaeri potest. Utrum hoc: ea ipsa re quod gnomas in conviviis recitabunt et elegias meas adulescentes cum tibiis canent,

---

[1]) V. 1139 carminis est sine dubio recentis, id quod demonstraverunt Usener *Jahrb. f. klass. Phil.* 1878 p. 69 et Goebel de corr. attica p. 10. Aliud argumentum addere possum. Poeta v. 923 sibi permisit *κατὰ χρήματα* correpto *α* ante mutam cum liquida. Est autem lex, quam nemo adhuc videtur animadvertisse, cum ab Homero (Σ 414 et σ 173 cave putes hanc legem violari) tum ab antiquis elegiacis et Theognide genuino diligenter servata qua ultima syllaba cuiusvis praepositionis corripi vetatur ante vocem rectam a muta c. l. incipientem. In quam peccasse video Dionysium demum Chalcun (3, 5) et Cratem (3, 2 et 4, 4). Vocalem praepositionis productam habent Archil. 4, 3; 9, 6; Tyrt. 10, 1; 10, 21; Mimn. 2, 3; 14, 6; Sol. ap. Arist. civ. Ath. c. 5; Anacr. 94, 1; Theog. 55 (A), 118 (B), 7, 493, 733, 787, 959, 981, 1041 (C); Simon. C. 97, 3; 120, 1; 143, 3; 167, 1 et 2. Itaque illum unicum locum ex sylloga Theognidea qui legi non obtemperat, optimo iure poetae iuniori tribuemus.

[2]) De v. 159 cf. p. 17.

[3]) Christ *Metrik*² § 251 in extrema nota, *Litteraturgesch.*² p. 115, Bergk *Literaturg.* II p. 321 c. not. 89, alii.

tu in ore hominum versaberis, an illud: quod ego tibi tam amicus fuerim, te honore tanto dignaverim, dedicatione carminum quibus omnibus innotesces, volitabis tu per ora hominum [1]), homines te praedicabunt, laudibus maximis efferent. adulescentes carminibus celebrabunt ut puerum maxima amicitia dignatum [2]). Nonne etiam hic sensus versibus nostris inesse potest? Similis est locus Theocriti, cui elegia nostra videtur nota fuisse, id. 12, 10—21, cuius carminis verba singula accurate comparentur:

εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες
νῷιν, ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδή·
„θείω δή τινε τώδε μετὰ προτέροισι γενέσθην
φῶθ', ὁ μὲν εἴσπνηλος, φαίη χ' ὡμυκλαϊάσδων,
τὸν δ' ἕτερον πάλιν ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀίτην.
ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ. ἦ ῥα τότ' ἦσαν
χρύσειοι πάλιν ἄνδρες, ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς."
εἰ γὰρ τοῦτο, πάτερ Κρονίδη, πέλοι, εἰ γάρ, ἀγήρῳ
ἀθάνατοι, γενεῆς δὲ διηκοσίῃσιν ἔπειτα
ἀγγείλειεν ἐμοί τις ἀνέξοδον εἰς Ἀχέροντα·
„ἡ σὴ νῦν φιλότης καὶ τοῦ χαρίεντος ἀίτεω
πᾶσι διὰ στόματος, μετὰ δ' ἠιθέοισι μάλιστα."

Versu Theocriteo 11, ubi *ἀοιδή* pertinet ad sermonem hominum 12—16, etiam verba Theognidis *καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδὴ ἔσσῃ ὁμῶς* illustrantur. Iam apud Homerum in formula (*καὶ*) *ἐσσομένοισιν ἀοιδή* et locis similibus vox *ἀοιδή* paene transiit in vim famae, γ 204 (Eustath. *πυθέσθαι*), ϑ 580, ω 197 (cf. ω 200/1 et Z 358). — Etiam Athenaeus

[1]) Cf. Ennianum illud (Cic. Tusc. I 15, 34):
Nemo me lacrumis decoret nec funera fletu
faxit. Cur? volito vivos per ora virum.

[2]) Cf. quod Hartung p. 263 dicit quamquam rem prorsus aliam inde demonstraturus: *Wenn wir auch noch annehmen wollten, dass diese Sprüche zum Absingen unter Flötenbegleitung bei Schmausereien sich eignen, so würden sie doch nicht gerade von Jünglingen* (*νέοι ἄνδρες*), *und zwar von anmuthsvollen* (*ἐρατοί*), *allein zu singen sein.*

Theognidem melodias ad carmina sua adhibuisse negat [1]), sed vide Christium *Litteraturgesch.* [2] p. 115 not. 3.

Quartum pedem hiatum trochaicum non admisisse iure affirmabimus, quoniam ex hexametris fere 2350 non nisi unus habere videtur, Leonidas Tarentinus 63,5 (A. P. VII 740)

ὁ πρίν — τί πλείω μυθεῦμαι; ὁ πᾶσι μακαρτός.

Sed etiam hic evanescit si lectionem Planudeam praeferimus quae est *μυθεῦμ'; ἐπὶ πᾶσι* [2]).

Omnium frequentissimas correptiones habet item atque apud Homerum thesis altera pedis quarti. Nam cum omnium quas numeravi correptionum summa sit 719, harum 250 in illa sede versus positae sunt, i. e. fere tertia pars. Huius frequentiae causa fuit sine dubio studium hexametri post caesuras principales tertii pedis caesura illa quae vocatur bucolica incidendi [3]). Vocalium autem vel maxime diligebatur illo loco diphthongus *αι*, quae duodecenties illic correpta est, i. e. ex vocalibus correptis quinis binae sunt *αι* [4]).

Etiam hoc observare licet, ad hiatum quarti pedis dactylicum praecipue adhiberi solitas verborum formas in *αι* exeuntes, ut *ὑποθήσομαι, ἐργάζεται, γίνεται, ἀναίνεται* etc [5]). Nec minus saepe nominum patronymicorum ultima ante diaeresim bucolicam corripitur, maxime in vocativo. En habes exempla: *Πολυπαΐδη* Theogn. 25, 57, 79, 129, 143, 1197 (contra in quinto pede 61, 191, 541); *Σιμωνίδη* Theogn. 469, 667,

---

[1]) XIV 632 d: *Ξενοφάνης δὲ καὶ Σόλων καὶ Θέογνις καὶ Φωκυλίδης, ἔτι δὲ Περίανδρος ὁ Κορίνθιος ἐλεγειοποιὸς καὶ τῶν λοιπῶν οἱ μὴ προσάγοντες πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν ἐκπονοῦσι τοὺς στίχους τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τῇ τάξει τῶν μέτρων <τελείους>.*

[2]) Illum hiatum illicitum esse nondum sciebat Meineke (delectus poetarum Anthol. Graecae p. 127 sq.).

[3]) Cf. Usener *Jahrb. f. Phil.* 1878 p. 68.

[4]) Ne quid desideretur, numeros omnium vocalium in thesi altera pedis quarti hiantium propono: 98 *αι*, 38 *οι*, 33 *ου*, 28 *η*, 15 *ῳ*, 10 *ω*, 6 *ῃ*, 3 *ᾳ*, 2 *ᾶ*.

[5]) Hoc iam vidit Renner *Formelwesen* p. 60.

1349, Simon. C. 145, 1 (cf. 129, 1; 146, 1; 147, 5); *Λιγυαστάδη* Sol. 20, 3; *Εὐριπίδη* Ion 5; Sophocl. 4, 1; Addaeus 9, 1; Hermesian. 3, 67 (cf. Thucyd. v. 1); *Λεωνίδα* Simon. C. 95, 1 (cf. Leon. Tar. 91, 5).

Quintus denique pes in utraque thesi hiatum concessum habet; nam quod apud antiquissimos primae thesis nullum, alterius unum exemplum exstat, merum casum esse apparet, si rationem habemus cum Mimnermi, Solonis, sequentium tum homericae consuetudinis. Non praetermittam dicere hunc pedem etiam magis quam quartum verborum formas in *αι* amavisse.

Interpunctione, ut hoc quoque non neglegamus, correptio vocalis longae vel diphthongi adiuvatur raro in thesi alter apedis primi et quinti, persaepe in eadem thesi pedis quarti ante caesuram bucolicam. Versuum enim 250 qui ibi hiatum dactylicum admiserunt, interpunctione graviore inciduntur 132, i. e. plus dimidia parte. Quod cum non minus apud antiquos fiat quam apud recentiores (Callin. — Theogn. A 34:65), eo magis in sententia nostra perseverabimus, non illo modo ut Hartel et Grulich voluerunt vocalem quae corripi videatur cum vocali insequente pronunciatione arctissime coniungi debere.

Restat ut de pentametro dicendum sit. In quo legitimas vocalis corripiendae sedes solos primum et quartum pedem esse nemo non videbit omnesque versus ubi haec lex violetur aut vitiatos aut spurios ducendos. Sunt autem versus in quibus peccatum est, hi:

Theog. 270 (C) *πάντῃ δ'ἐχϑρὴ ὁμῶς γίνεται, ἔνϑα περ ᾖ*
— 932 (C) *οὐδείς, ἢν μὴ ὁρᾷ χρήματα λειπόμενα*
Simm. Rhod. 18, 2 (VII 60) *ἐνϑάδε κεῖται ἀνὴρ ϑεῖος Ἀριστοκλέης*
Xenophan. 6, 3 *φασὶν ἐποικτεῖραι καὶ τόδε φάσϑαι ἔπος*
Theog. 226 (C) *τῷ δὲ δολοπλοκίαι μᾶλλον ἄπιστοι ἅδον.*

Atque de Simmia quidem omnis suspicio sublata est si,

id quod sine dubio faciendum, lectionem apud Diogenem Laert. III 30 servatam praeoptamus q. e.:

ἐνθάδε δὴ κεῖται δῖος Ἀριστοκλέης.

A Theognide alienos puto confectosque ab hominibus artis legumque metricarum imperitis vv. 270 et 932, qua re ex Theognideis eiciuntur disticha 267—70 et 931/2.

Xenophanis versum coniectura sanari posse opinor. Conicio *καὶ τάδε φάσθ' ἔπεα* scriptum fuisse vel talia; Goebel voluit *καὶ τόδε εἰπέμεναι*, quod tamen a litteris traditis longius recedit. Theognidis denique v. 226 vix dubium quin non recte scriptus sit, cum *ἄπιστοι* non apte cum *δολοπλοκίαι* coniungatur. Video Bergkium coniecisse

σοὶ δὲ δολοπλοκίαι μᾶλλον, ἄπιστε, ἅδον.

Quod mihi minime placet, quia *ὁ μὲν* et *τῷ δὲ* optime sibi respondent. Ac ne id quidem quod Stobaeus exhibet comprobo, quippe quod nimis coniecturam sapiat:

τῷ δὲ δολοπλοκίαι μᾶλλον ἔτ' εἰσὶ φίλαι.

Omnino lectiones codicum Theognideorum fere meliores esse quam Athenaei, Stobaei, ceterorum testium recentiorum, qui saepe suo arbitrio mutaverint, cum multis consentio [1]). Vide ne nostro loco poeta olim scripserit:

τῷ δὲ δολοπλοκίαι μᾶλλον ἄπιστά θ' ἅδον.

Correptum igitur est a veris poetis artisque suae non ignaris non nisi in primo et quarto pede pentametri, i. e. initio utriusque versus coli. In hoc si indicium originis agnoscimus pentametri, qui item atque hexameter e duobus versiculis concretus videtur esse, haud errabimus. Vide quae de hexametro nobis verisimilia supra p. 51 sq. exposuimus.

Etiam in pentametro correptioni vocalis ante vocalem po-

[1]) Cf. O. Crueger: de locorum Theognideorum apud veteres scriptores exstantium ad textum poetae emendandum pretio (diss. inaug. Regimontii 1882).

sitae auxiliatur interpunctio. Interpungendi autem locus est non pes quartus, sed, ut Diels animadvertit in Hermae vol. 23 p. 281, primus pes. In quarti enim pedis thesi prima et altera ex exemplis 144 octo tantum interpunctionem graviorem admiserunt[1]), cum interpunctione in primo pede sive prima sive altera thesi incisum sit tricies sexies, non interpunctum sit undequinquagies. Addo tabulam pedis primi, ex qua num poetis diversorum temporum aliis aliud placuerit discatur.

	interp.	non interp.
Elegiaci Theognide superiores	11	4
Theognis A	1	3
B	0	2
C	7	12
D	1	1
Elegiaci Theognide inferiores	0	7
Alexandrini	16	20
	36	49

Vides igitur elegiarum scriptores antiquos pentametrum initio incidere maluisse quam non interpungere[2]). Nimis severe autem Diels apud antiquos illo loco incisionem flagitat, quasi vitiosi sint versus illa carentes; immo exstant certa exempla contrarii generis. Num illa interpungendi causa

[1]) IV 1: Euen. 1, 4. IV 2: Mimn. 14, 2, Anacr. 101, 2, Theog. 270, 1280, Simon. C. 113, 2, Theaetetus 5, 2, Leonidas Tar. 64, 18.

[2]) Interpunctio invenitur his locis: Callin. 1, 2; 1, 4; 1, 15; Archil. 3, 2; 6, 4; Tyrt. 10, 12; 11, 10; Mimn. 12, 6; Solon 13, 12 et 4, 22 (ubi Dielsium quamquam a causa non recta profectum verum invenisse puto: *τρύχεται, ἐν συνόδοις τ' ἴσ' ἀδικοῦσι φίλοι*); Anacr. 110, 2; non interpunctum est his locis: Call. 1, 9; Tyrt. 11, 30 (ubi ab Dielsio dissentientes Hillerum comprobamus; cf. *Jahresber.* 1888 p. 131); Sol. 10, 2; Anacr. 104, 2. Apud Theogn. interpunctum est 188 (A), 196, 200, 394, 400, 414, 1076, 1170 (C), 1284 (D); non interp. 252, 554, 1200 (A), 540, 656 (B), 2, 172, 212, 342, 442, 498, 510, 546, 572, 658, 750, 880 (C), 1246 (D).

fuerit, ut hoc modo hiatus iste tanquam illicitus excusaretur vel obscuraretur ut Diels putat, dubium mihi videtur. Fortasse nihil aliud nisi mos et consuetudo sententiarum construendarum in causa fuerunt, cum saepe fiat ut sententia in hexametro incohata initio pentametri absolvatur.

Sed haec quidem hactenus. Etsi fortasse non singula omnia eis qui legerunt probaverimus, tamen rectam quandam nos viam iniisse speramus, qua profectos etiam de aliis poetis non inutilia neque parva effecturos existimamus. Vidimus igitur primum, eos qui distichis carmina condiderint, correptionem vocalis longae ante verbum a vocali incipiens non mero arbitrio ubique admisisse sed certis legibus astrictos fuisse; deinde numerum quendam definivimus versuum in sylloga Theognidea exstantium qui a Theognidis consuetudine corripiendi abhorreant quique ea de causa a Megarensi poeta profecti esse non possint. Sunt autem, ut in unum colligamus, vv. 235/6, 261—66, 267—70, 287/8, 457—60, 597/8, 903—30, 931/2, 1243/4, in summa 52 vv.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I. Vell. Paterc. II 5, 3 verba in libro tradita retineo sic interpungens: *non deterritus proposito — perseverantia ducis! — quem moriturum miserat militem victorem recepit.*

II. Ibid. II 17, 1 verba q. s. *integris universis* non temptanda sunt, cum pro eo quod dicere poterat *quam integri integris* auctor dixerit *quam integris universis* (abl. abs.) scil. Romanis et Italicis. (Similiter iam Kritz.)

III. Iniuria Kiessling (*Wilam. u. Kiessl. Phil. Unters.* II p. 80 et ad Hor. carm. I 14) Alcaei fr. 18 allegoriam esse negat immeritoque Heraclitum ineptiae insimulat.

IV. Theogn. 483 scribo *τὸ πρὶν ἐὼν σώφρον*, *ὅτε* (cum cod. *O*) *νήφαλος*.

V. Theogn. 806 scriptura tradita *χρή μέν*, ubi *μέν* est profecto, retinenda est. Cf. Hom. Α 216 et Ι 309.

VI. Versui Theognidis corrupto 1249 sensus hic subesse videtur: *Postquam ad praesepe alius satiatus es, ad nostra redis stabula.* Propono igitur exempli causa: *Παῖ, σὺ μὲν ἄλλοθεν ἵππος ἐπεὶ κριθῶν ἐκορέσθης* (cf. v. 1269).

VII. Theocr. c. XX vv. 7 et 8 interpolati sunt.

VIII. Falso Kuhnert in Roscheri *Lex. d. Myth.* p. 1670 sqq. imagines Typhoei antiquissimam gigantum formam interpretatur.

VITA

Natus sum Ludovicus Iohannes Lucas Conitziae a. d. IV. Id. Aug. anno MDCCCLXV patre Carolo, matre Luisa e gente Schoetzau. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus Berolini quo pater migraverat in ludo privato, paullo post scholae medii ordinis Charlottenburgensi traditus, inde ab a. 1878 gymnasium illius urbis frequentavi quod adhuc sub auspiciis Schultzii v. i. floret. In quo vere anni h. s. LXXXVI cum maturitatis testimonio instructus essem, academiae Berolinensis civibus adscriptus sum ibique philologicis, historicis, philosophicis studiis operam dedi.

Docuerunt me per tredecim semestria viri doctissimi: Bellermann, Bresslau, Curtius, Diels, Dilthey, Ebbinghaus, Erman, Hirschfeld, Huebner, Kekulé, Kirchhoff, Koehler, Lazarus, Mommsen, Paulsen, de Richthofen, Robert, Scheffer-Boichorst, Scherer †, Schroeder, de Stein †, Vahlen, Zeller. Exercitationibus benigne mihi aditum praebuerunt archaeologicis Curtius, Furtwaengler, Kekulé, Robert, historicis Fabricius et Hirschfeld, epigraphicis Kirchhoff, philologicis Diels et Huebner, germanicis Meyer. Seminarii philologici quod moderantur Kirchhoff et Vahlen, per tria semestria sodalis ordinarius fui.

Quibus omnibus viris optime de me meritis, maxime autem Roberto, Dielsio, Kirchhoffio, Vahleno, Hirschfeldio, qui consilio factoque, non modo in studiis, me adiuverunt, gratias quam maximas ago semperque habebo.

Typis G. Pätzii (Lippert & Co., Numburgi ad S.

DE ITERATIS APUD THEOGNIDEM DISTICHIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITENBERGENSI CONSOCIATA

AD

SOMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII MENSIS JULII ANNI MDCCCXCI

HORA XII.

PALAM DEFENDET

SCRIPTOR

MAURICIUS SCHAEFER

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

BRAUN, STUD. PHIL. **CLEMENS**, STUD. PHIL.


JOHN, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM MDCCCXCI.

TYPIS A. SAYFFAERTHI, BEROLINI.

PARENTIBUS ET SOCERIS

SACRUM.



Post studia, quibus inde ab Immanuele Bekkero, a quo omnis est disciplina Theognidea, viri docti Th. Bergkius in Mus. Rhen. Nov. vol. III p. 206 sqq. et p. 396 sqq., Hartius in annali philologo anni 1868 p. 333—336, Christophorus Ziegler ibidem p. 329 sqq. se dederunt, in crisi Theognideorum exercenda a libris A et O proficiscendum esse omnes consentiunt. Codicem A, quo Bekkerus primus usus est ad Theognidis elegos edendos anno 1815 quemque in praefatione alterius editionis anno 1827 curatae Mutinensem se vocasse profitetur, non quod Mutina Parisios venisset, sed communi tum omnium, qui ex Italiae superioris bibliothecis minoribus Parisinae illati essent, nomine revera non Mutinensem sed Veronensem esse Guilelmus Studemund, vir his litteris praematura morte ereptus, commentatione de Theognideorum memoria libris manu scriptis servata (ind. lect. Vratislav. per hiemem anni 1889—90 habend.) demonstravit.[1] Dolendum sane est, quod acerbum fatum Henrico Jordano non permisit, ut lectiones codicis A saeculo X scripti, quem ceteris omnibus non modo servata syllogae Theognideae appendice sed etiam antiquitate et bonitate praestare constat, diligenter ab ipso enotatas publici iuris faceret. Quae cum ita sint, in ea codicis A collatione, quam Bekkeri editioni alteri debemus, acquiescendum erit cautissime tantum adhibitis eis lectionibus virorum doctorum (Presseli in Philol. tom. XXIX. p. 547

[1] Idem viri doctissimi defuncti commentatione vel ignorata vel neglecta docuit C. O. Zuretti: Veronese non Modenese. Pel codice A di Teognide. Rivista di Filologia 1890 p. 161 sqq.

sqq. et van der Meyi: Studiorum Theognideorum cap. V Lugduni Batavorum 1869 p. 48 sqq.), quae a Bekkero discrepant. Percommode autem accidit, quod Guilelmus Studemund codicis O, quem vere anni 1889 frustra per totam bibliothecam Vaticanam quaesitum esse atque infelici casu nuper amissum videri Augustus Mau Studemundo rescripserat, apographon tam insigni et unica accuratione confectum, ut ne de minutiis quidem dubitare liceret, in indice illo lectionum, quem supra nominavi, exprimendum curavit.

His duobus codicibus accurate collatis atque cognitis cum in universum fundamentum firmum collectionis Theognideae recte et aestimandae et recensendae, tum eius quaestionis, quae est de distichis iteratis in farragine fragmentorum elegiacorum maximam partem ad Theognidem pertinentium profligandae et paene ad finem perducendae iactum est. Quo enim quis vetustior meliorisque notae codex est, eo maior numerus distichorum in eo repetitorum est. Quare non mirabimur quod codex A praeter illos versus iteratos, qui in collectione carminum amatoriorum exstant, quae inscripta ἐλεγείων β' Theognidis reliquiis addita est, non modo nullam iterationem codicis O omisit, sed una auctior est. Apertum est Theognidis editores fugere non potuisse versus quosdam in libris manu scriptis repeti, tantum autem aberat, ut istos versus suis locis typis exprimendos curarent, ut aut alios iterum ponerent alios omitterent aut maximam partem distichorum, quae bis in codicibus leguntur, neutro loco tolerarent.

Hac pertinacia, ne dicam pervicacia editorum, quam suo iure et Hiller[1] et Studemund[2] castigaverunt, cum nec Bekkerus, qui ad versus 1070—74 adnotavit: »mihi satius visum non omnia delere duplicis recensionis vestigia« nec recentiores liberi sint, maximam Eduardo Hillero nuperrime defuncto gratiam habemus, quod in Anthologia Lyrica, quam

[1] Fleckeiseni annal. philol. 1881 p. 450.
[2] ind. lect. hibern. 1889/90 Vratislaviae habend, p. 34.

post Theodorum Bergkium superiore anno quartum edidit, omnia disticha bis in codicibus A et O scripta suis locis typis expressit. Ab his versibus repetitis Fridericus Nietzschius, cum Welckeri vestigiis insistens quasi alter Aristarchus existeret, cuius operam ad Theognidis poema perturbatissimum ordini restituendum Caspar Barthius (Advers. XV, 4) speraverat, in dissertatione, quam inscripsit: Zur Geschichte der Theognideischen Spruchsammlung. Cap. I.: Die letzte Redaktion der Theognidea (Mus. Rhen. Nov. vol. XXII p. 161 sqq.) ita orsus est, ut quaerendum censeret, qui fieri potuisset, ut idem fragmentum plus minusve variatum bis in contextu poematum legeretur. Cuius rei causa viro doctissimo in eo posita fuisse videbatur, quod ab eo, qui Theognidea consarcinavit, singulas sententias verborum quodam filo conexas et, ubi sententiarum copulatio illa interrupta fuerit, ad nexum restituendum alteram sententiam esse insertam existimaret. Hanc viri docti sententiam quam Th. Fritzschius dissertatione Philol. tom XXIX p. 526—46 inserta: Das Stichwort als Ordnungsprincip der Theognideischen Fragmente acriter impugnavit, nemo fere est, qui veram existimet. Hermannus autem Schneidewin, qui dissertatione de syllogis Theognideis Argentorati 1878 scripta demonstrasse sibi visus est non modo librum Theognideorum α' ex duabus syllogis consutum atque posterioris syllogae initium inter versum 878 et 1038 statuendum esse, sed etiam repetitorum versuum maximam partem in posteriore sylloga fidelius Theognideam formam retinuisse multos invenit, qui ei assentirentur. Recte autem Studemund p. 36 negavit ex versuum repetitionibus quidquam probabile de Theognideorum origine statui posse. Ego vero cum Henrici Jordani, qui in Hermae vol. XV. p. 524 sqq.[1] monuerat, ne expertos vacuum Daedalos aera sequeremur, auctoritati obtemperans primum non illud quaerendum esse existimem, qui factum sit, ut idem fragmentum

[1] cf. eiusdem Quaest. Theognid. in indice lectionum Regimontii per hiemem 1885/86 habendarum.

bis in textu legeretur, sed potius utro loco melius et fidelius servatum sit, tota quaestione, quae est de iteratis apud Theognidem distichis, retractata minime acta agere mihi videor.

Cum de distichis tantum in Theognideis repetitis disputare nostrum sit, breviter monemus singulos quoque versus repetitos inveniri. Quorum nonnulli ad verbum iterati utroque loco aptissimum praebent sensum neque mirum, quod tales versus, quos in formularum numero habere possis, saepius intervallo haud ita magno occurrunt, velut pentameter

εἰ μὴ ἐμὴν γνώμην ἐξαπατῶσι θεοί

et in v. 540 et 554 exstat.

Ne Ricardi Kuellenbergii dissertationem de imitatione Theognidea (Argentorati 1877) exscribamus,

ἀνθρώπων, ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ

(v. 168 et 850) depromam. Item satis erit verbo monuisse eum, qui appendicem composuerit, poetam impurum ex gnomicis versus furatum partim ad verbum repetivisse, partim levissime mutavisse, ut pentamentrum 1086

τοῦθ' ἔρδειν, ὅτι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ

in v. 1238 ad verbum repetivit, pentametri vero 1152

δειλῶν ἀνθρώπων ῥήμασι πειθόμενος

exordium in ἄλλων mutavit in v. 1262. Versus 1365

ὦ παίδων κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων

versui 1117, in quo Plutus deus invocatur, tam similis est, ut procul dubio ex illo fluxisse existimandus sit. Suo iure Arthur Corsenn in adnotatione ad p. 22 Quaestionum Theognidearum (Wissenschaftliche Beilage des Progymnasiums zu Geestemünde 1887) Ulrici Koehleri, quocum Christ (Gesch. d. griech. Litteratur ed. II p. 115 adn. II) consentit, sententiam reiecit, qui in commentatione, quam inscripsit: Eine Illustration zu Theognis, (Mitteilungen des deutschen archaeologischen Instituts in Athen, 9. Jahrgang 1884 p. 1—4 Tafel I) verba ὦ παίδων κάλλιστε, quae in vasculo fictili Tanagrae

reperto ex ore hominis venientia conspicimus, ad distichon ~~in Theognidis appendice erotica exstans referri oportere~~ contenderat.

Sed redeamus ab hoc deverticulo, ut recta via id, quod nobis proposuimus, persequamur. Priusquam igitur ad disticha iterata pergimus, uno conspectu ut appareat, qui versus et intra librum α' (v. 1—1220) in codicibus A et O et in carminum amatoriorum appendice in codice A repetiti sint, has duas proponimus tabulas:

I. Tabula versuum intra librum α' repetitorum

versus	qui repetuntur						
	non variati vel fere non variati	in initio paulum mutati	alibi paulum mutati	in fine levissime mutati	multum mutati	ita, ut pentameter sit prorsus diversus	eidem sunt atque
39-40	39					40	1081-1082
41-42	42		41				1082 a—b
57-60		58	59		57. 60		1109-1110 1113-1114
87-90	87-90						1082 c—f
97-100	98-100	97					1164 a—d
115-116	116				115		643-44
209-210	tantum in cod. A iterantur	209		210			332 a—b
211-212		211		212			509-510
213-214			213		214		1071-1072
217-218					217-218		1073-1074
367-368	368	367					1184 a—b
409-410				409	410		1161-1162
415-418	416	415	417	418			1164 e—h
417-418			417		418		1105-1106
441-446	446		441. 442 443. 445		444		1162 a—f
555-556	556				555		1178 a—b
571-572	571			572			1104 a—b
619-620		619. 620					1114 a—b
853-854	854			853			1038 a—b
877-878	878	877					1070 a—b
1095-1096		1096			1095		1160 a—b
1105-1106	1105		cf. 417-418		1106		1164 g—h

II. Tabula versuum intra librum β' repetitorum in A.

versus	qui repetuntur: non variati vel fere non variati	in initio paulum mutati	alibi paulum mutati	in fine levissime mutati	multum mutati	ita, ut pentameter sit prorsus diversus	eidem sunt atque
949-950	calami erroribus exiguis vitiati						1278 c—d
1101-1102	non variati						1278 a—b
1107-1108		1108					1318 a—b
1151-1152	nulla scripturae discrepantia						1238 a—b
597-598						598	1243-1244
301-302						302	1353-1354

His duabus tabulis propositis disputandi materia cum bipartita videatur, quaestionem ita instituendam esse puto, ut primum disticha intra librum α' iterata, deinde ea quae intra librum β' repetuntur, in disceptationem vocem, semper fere eo usus ordine, quo versus in libris manu scriptis leguntur.

Initium igitur faciamus a duobus distichis v. 39—42, quae in codicibus A et O infra post versum 1080 repetuntur partim tantum immutata, ut de lectionis discrepantia difficillimum sit iudicium. Priore loco hi versus sic exhibentur:

39 Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα
εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης.
41 ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔθ' οἵδε σαόφρονες, ἡγεμόνες δὲ
τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν.

Qui versus quid sibi velint si cognoscere voluerimus, omnino non confundendi sunt cum aliis ex Theognidis farragine propter similitudinem quandam argumenti petitis, sed per se sunt tractandi. Dicit poeta: Timeo, Cyrne, ne urbs nostra gravida hominem malae nostrae superbiae castigatorem procreet; cives enim nostri adhuc ratione ducuntur, principes autem ad superbiam improbitatemque delapsi sunt. Auguratur igitur poeta tyranni alicuius dominationem inde, ut fieri assolet, orituram, quod optimates superbiores se praebuerant, quam

ut cives paterentur. Hunc fere esse sensum versuum illorum eumque aptum accomodatumque ad eum rerum civilium statum, qualem tum temporis Megaris fuisse conicias, quis est qui neget? ὕβριος ἡμετέρης poeta dicere potuit, quippe qui ipse esset optimatium, quamvis repugnaret atque id quidem frustra illorum superbiae. ἀστοί quos hoc loco dicit poeta, non ut Leutschius (Philol. 1876 p. 367) contendit, nobiles significantur, sed potius cives.[1]

Iidem versus infra iterum post versum 1080 ita immutati leguntur ut prioris distichi pentameter sit:

ὑβριστὴν χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος

et pro verbis ἔθ' οἵδε legatur ἔασι. Hos versus alium praebere sensum atque v. 39—42 apparet. Auguratur poeta patriam ambitiosi atque imperiosi alicuius hominis praedam fore, rerum potiturum esse unum ex demagogis, qui cum civium mores adhuc incorrupti essent, ipsi proni ad superbiam essent. Versus 1082 melius cum huius carminis instituto convenire cum Hartungio videretur, eum praeoptavit. Bergkius autem utrumque pentametrum Theognidis esse ratus breviatorem disticha 39—40 et 1081—82 in artum redegisse coniecit atque H. Schneidewin hunc fere sententiarum conexum et versuum ordinem apud Theognidem fuisse probabile existimavit. Quod Hiller (Jahresberichte über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft 1886 p. 39) ad Bergkii sententiam refutandam attulit, contra utrumque

[1] cf. Fr. Cauer: Parteien und Politiker in Megara und Athen. Stuttgart 1890 p. 6. Bürger werden hier die genannt, welche weiter nichts sind als Bürger, also Leute von geringer Bedeutung im Staat. Hoc recte vidit vir doctus; totam autem imaginem illam et Theognidis et rerum Megarensium ab eodem cogitatione depictam omnino non possum veram expressamque existimare, in qua istuc delapsus est, ut Theognidem in feneratores Megarenses referret. Utinam sperare nobis liceret fore ut aliquando totum aedificium magno labore exstructum eodem modo funditus deleatur, quo eiusdem viri docti disputatio, quae inscribitur: Die athenischen Parteien vor Kleisthenes Aristotelis Ἀθηναίων πολιτεία nuper inventa refutata est.

iure dici potest. Cum duo disticha et supra et infra se excipiant, non multum habet probabilitatis pentametri discrepantiam pluribus distichis coartatis ortam esse. Quae cum ita sint, facere non possumus quin statuamus pentametrum immutatum variandi pruritui deberi. Neque vero cum Jordano putamus vocabulum, quod est εὐθυντήρ, rarum illud quidem, verum minime suspectum ansam variandi pentametri praebuisse. Qui sententiarum conexu non plane perspecto ita ut hexametro alium pentametrum adaptaret, meliorem sensum effecisse sibi videbatur, in scirpo nodum quaesivisse iudicandus est. Neque persuaderi nobis poterit ἔασι, quam formam etiam in v. 623 redire Ziegler recte contra Schneidewin monet, lectioni ἔθ' οἵδε praestare, quam versui 40 apprime accomodatam esse censeo, verbum autem substantivum omnino non desideramus.

Sequitur, ut de versibus 57—60, qui multum immutati unoque disticho post v. 58 aucti post v. 1107 et 1108, et ipsos post v. 1318 appendicis iteratos, repetuntur, quid sentiam paulo copiosius dicam. Superiore loco hic est ordo versuum, de quibus agimus:

v. 53 Κύρνε, πόλις μὲν ἔθ' ἥδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι
οἳ πρόσθ' οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους,
ἀλλ' ἀμφὶ πλευρῇσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον,
ἔξω δ' ὥστ' ἔλαφοι τῆςδ' ἐνέμοντο πόλεος
57 καὶ νῦν εἴσ' ἀγαθοί, Πολυπαΐδη, οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοὶ
νῦν δειλο· τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν;
ἀλλήλους δ' ἀπατῶσιν ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶντες
οὔτε κακῶν γνώμας εἰδότες οὔτ' ἀγαθῶν.

In versibus exscribendis Bergkium secuti diiudicare nolumus, utrum praestet cum Bekkero post v. 53 ὑποστιγμὴν et post v. 56 μέσην στιγμὴν ponere, an ita distinguere, ut priore loco μέση στιγμή, altero, ubi ἀπόδοσις incipiat, ὑποστιγμὴ ponatur. Quodcumque feceris arbitrium, facile concedes versus 57—60, de quibus agitur, artissimis vinculis cum prioribus coniunctos suo stare loco imprimisque verba καὶ νῦν εἴσ'

ἀγαθοί, quae Bergkius a correctore perperam pro οἱ vel τοὶ νῦν substituta esse putabat, contrario nomine opposita esse verbis versus 54: οἳ πρόσθ' e. q. s. At post versum 1108 haec disticha hoc modo variata sunt:

Κύρν', οἱ πρόσθ' ἀγαθοὶ νῦν αὖ κακοί, οἱ δὲ κακοὶ πρὶν
νῦν ἀγαθοί· τίς κέν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν,
τοὺς ἀγαθοὺς μὲν ἀτιμοτέρους, κακίους δὲ λαχόντας
τιμῆς; μνηστεύει δ'ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ.
ἀλλήλους δ'ἀπατῶντες ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶσιν,
οὔτ' ἀγαθῶν μνήμην εἰδότες οὔτε κακῶν.

Quam varie versus sint immutati apparet. Legenti mihi et Bergkii adnotationem ad v. 53—60 et Schneidewini copiosam disputationem offensioni fuit, quod uterque causis aut nullis aut non satis idoneis additis priorem locum ex repetito in artum esse redactum confirmat, proinde quasi per se fieri non possit, ut alter locus ex priore uno auctus disticho derivatus sit. Quod ita esse me demonstraturum spero. Qui alterum locum confecit, sive quod ταῦτ' in versu 58 eodem modo, quo ταῦτ' in versu 99

— — σὺ δέ μοι, φίλε, ταῦτ' ἐνὶ θυμῷ
φράζεο

ad ea, quae antecedunt, pertinens non intellexit, sive quod quid posset probare voluit inter primum et alterum distichon duos versus inseruit, imperite atque inscite ad versuum Theognideorum exemplar factos; cf.

v. 666 — καὶ τιμῆς καὶ κακὸς ὢν ἔλαχεν,

v. 186 — γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει
ἐσθλὸς ἀνήρ

v. 234 — ὀλίγης τιμῆς ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνήρ!

v. 190 — — — καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν.

Accedit quod ab hoc loco opprobium in eo positum, quod boni malorum filias uxores ducant, plane alienum est verbaque ipsa non genuina, sed ex poetae flosculis decerpta parum

concinne coniuncta sunt. Quamobrem non possumus cogitare locum priorem ex posteriore in angustum deductum, sed cum Jordano (p. 12) aliisque disticho insiticio auctum esse putabimus. Jam videamus prius distichon v. 57—58. Cum novum enuntiatum a verbis καὶ νῦν εἴσ' ἀγαθοί neque incipere posset et summa eorum, quae praecedunt, in unum versum esset contrahenda, et vocativus Πολυπαΐδη, utpote qui plurium esset syllabarum abiciendus et[1] vicissitudines illae alium in ordinem referendae erant. In altero disticho Hermanum Schneidewin, qui permutatam membrorum structuram praefert, sequi adeo non possum ut verba

ἀλλήλους δ' ἀπατῶσιν ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶντες

unice vera putem. Qui sensum non prorsus obtusum habet, id quod summum est, illos inter se decipere verbo dicendum esse idque hilaribus atque laetis vultibus fieri apte participio exprimi posse perspiciet.

Quod vero vir doctus μνήμην in versu 1114 genuinam scripturam putabat, non invenit, quantum video, qui assentiretur. Nam versum 798, cuius ad exemplar v. 1114 effictus est,

τῶν δὲ κακῶν μνήμη γίγνεται οὐδεμία

huc non quadrare nemo non videt, qui hexametrum

τοὺς ἀγαθοὺς ἄλλος μάλα μέμφεται, ἄλλος ἐπαινεῖ

legerit. Non enim Megarenses vituperantur, quod nec probitatis neque improbitatis memores sint, sed quod omnino exuerint fas nefasque (cf. Joachimi Camerarii interpretationem: οὐκ ἐπιστάμενοι διορίσαι τὰ ὄντως ἀγαθὰ καὶ κακά, quam praeferimus Welckeri sententiae p. XLI praefationis interpretantis: neque eo animo iam nunc vivere, quo plebeium deceat, neque tamen nobiles induise. Neque magis possumus Cauero astipulari, qui p. 31 et 33 libelli, quem supra nominavi, οὔτε κακῶν γνώμας εἰδότες οὔτ' ἀγαθῶν interpretatur: Die nichts von den Rechtsprüchen der Edlen und Gemeinen wussten.) Quae omnia

[1] cf. Heimsoeth Emendat. Theognid. III, p. 6.

si perpenderimus et unum illud in memoriam revocaverimus quo loco versus iterati sunt omnino non copulatos conexosque esse cum vicinis ideoque eis nos carere posse, nulla iam dubitatio erit, quin priore loco vera Theognidis manus cognoscenda sit.

Age nunc videamus de versibus 87—90:

Μή μ' ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ'ἔχε καὶ φρένας ἄλλῃ
εἴ με φιλεῖς καί σοι πιστὸς ἔνεστι νόος.
Ἤ με φίλει καθαρὸν θέμενος νόον, ἤ μ'ἀποειπὼν
ἔχθαιρ', ἀμφαδίην νεῖκος ἀειράμενος,

qui in codicibus A et O post versum 1082 ita variati iterantur, ut pro ἄλλῃ ἄλλας, pro ἤ με φίλει ἀλλὰ φίλει pro ἀμφαδίην ἐμφανέως substituerentur. Hoc loco non possumus satis mirari, quod vel Hiller vir doctissimus, qui sobrio indicio usus non stat a partibus eorum, qui semper iteratum locum pro genuino putent, (J. 1886, p. 58) et Sitzler (N. Ph. R. 1886, p. 242) utra lectio alteri sit praeferenda dubitant. Quis enim est, quin librorum in examen vocatis lectionibus statim intellegat glossema ἐμφανέως locum vocis genuinae occupasse.[1] Forma adverbii ἀμφαδίην legitur apud Homerum Il. H. 196, N 356, Od. ε 120, ἀμφάδην apud Archilochum 66, 4 Bergk (32, 4 Hiller).

Καὶ μήτε νικῶν ἀμφάδην ἀγάλλεο,
μήτε νικηθεὶς ἐν οἴκῳ καταπεσὼν ὀδύρεο.[2]

Ego quidem nullus dubito, quin etiam ἄλλῃ in fine v. 87 et ἤ με in exordio v. 89 simplicius ac verius dicta sint quam quae in iteratione in eorum locum substituta sunt. Verbo monendum est Studemundo teste in codice O inferiore loco non ἄλλας, sed ἄλλη scriptum esse, ut apud Euripidem legimus Orest. 1181

[1] cf. Heimsoeth, Emendat. Theognid. p. 17.

[2] eandem adverbii formam agnoscere mihi videor in Solonis fragmento apud Aristotelem (Ἀθην. πολιτ. ed. II, p. 32, 8) servato: δήμῳ μὲν εἰ χρὴ διαφραδὴν ὀνειδίσαι. pro διαφραδὴν μ' ἀμφαδὴν scribendum.

ἄκουε δῆνυν καὶ σὺ δεῦρο νοῦν ἔχε

et Phoen. 360:

ὃς δ'ἄλλως λέγει
λόγοισι χαίρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ' ἔχει,

ita apud Theognidem νόον δ'ἔχε καὶ φρένας ἄλλῃ rectissime se habet. Recte mihi fecisse videtur Hiller, quod in novissima Anthologiae Lyricae editione Bergkii exemplum non secutus prius distichon ab eis, quae sequuntur, separavit.

Versus 87 et 88 ita scripti ut priore loco traditi sunt per se stare et possunt et debent. Qui hoc distichon cum altero coniungendum censebat, ei in initio alterius distichi verba ἤ με φίλει in ἀλλὰ φίλει mutanda erant.

Versus 97—100

ἀλλ' εἴη τοιοῦτος ἐμοὶ φίλος, ὃς τὸν ἑταῖρον
γινώσκων ὀργὴν καὶ βαρὺν ὄντα φέρει
ἀντὶ κασιγνήτου· σὺ δέ μοι, φίλε, ταῦτ' ἐνὶ θυμῷ
φράζεο, καὶ ποτέ μου μνήσεαι ἐξοπίσω.

post v. 1164 ita repetuntur, ut v. 98—100 fere non variati sint, praeterquamquod A infra τοῦτ' pro ταῦτ' habet, versus autem 97 sic legatur: τοιοῦτός τοι ἀνὴρ ἔστω φίλος. O τοι omisit et ταῦτ' altero loco retinet. Est hic locus sane dignus, qui accuratius inspiciatur. Ac primum quidem nec Welckero possum concedere hoc tetrastichon esse seiungendum ab antecedentibus versibus:

Ἤν τις ἐπαινήσῃ σε τόσον χρόνον ὅσσον ὁρῴης,
νοσφισθεὶς δ'ἄλλῃ γλῶσσαν ἵῃσι κακήν,
τοιοῦτός τοι ἑταῖρος ἀνὴρ φίλος οὔτι μάλ' ἐσθλός,
ὃς κ'εἴπῃ γλώσσῃ λῷα, φρονῇ δ'ἕτερα

neque Hartungio post versum 96 distichon intercidisse, sed artissimo necessitudinis vinculo inter se coniuncta esse optimeque cohaerere putaverim. Qui ex longiore versuum ordine ad unam eamque breviorem sententiam efficiendam ultimis tantum uti voluit, ei hexametri forma abicienda erat, quae a particula ἀλλ' incipit et e v. 95 non modo initium τοιοῦτός

τοι sed etiam ἀνὴρ depromere erat in proclivi. Hoc modo lectionum discrepantiae clariorem afferri lucem quam si quis coniecerit ideo τοιοῦτός τοι e. q. v. in ἀλλ' εἴη mutata esse, ne duo insequentia disticha ab eisdem inciperent verbis, ne Schneidewin quidem (p. 22 dissertat.) fugit.

Addere potuit aut debuit τοῦτ', quod A infra habet, non librario oscitanti tribuendum, sed consulto mutatum esse ab eo, qui intellegeret si epilogum priore loco ad plura pertinentem uni sententiae adiunxisset, non plurali esse locum, sed singulari numero. Apparet igitur lectionum discrepantiam inde natam esse quod versus e suo conexu avulsi necessario mutandi erant.

Poeta postquam monuit, ne unquam malos homines in amicorum numerum ascisceremus, pergit hoc modo: v. 115

Πολλοί τοι πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι,
ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι

Huius distichi argumentum ita cum versibus 113 et 114

Μήποτέ τοι κακὸν ἄνδρα φίλον ποιεῖσθαι ἑταῖρον
ἀλλ' αἰεὶ φεύγειν ὥστε κακὸν λιμένα

cohaeret, ut alterum alterum aptissime possit excipere. Neque in verbis ipsis quidquam inest, in quo offendamus. Genetivus substantivi πόσις et in v. 837

δισσαί τοι πόσιος κῆρες δειλοῖσι βροτοῖσιν

et in v. 844

τουτάκις οἴκαδ' ἴμεν παυσάμενοι πόσιος

legitur. Substantiva πόσις et βρῶσις coniuncta sibi haec »esse cognitissima ait« discipulus ex Homero neque eo, quod distichi hexameter in Pseudophocylideorum v. 92 ita mutatus, ut pro τοι altero loco γάρ legatur occurrit, quominus eum genuinum existimemus impedimur.

Infra autem eidem versus post v. 642 repetuntur, ita ut hexameter hoc altero loco sic scribatur:

Πολλοὶ παρ κρητῆρι φίλοι γίνονται ἑταῖροι

Sunt qui hunc hexametrum in iteratione distichi positum archetypum putent, cum praesertim hoc modo contraria contrariis melius relata videantur. Quid? num opus fuit in tam simplici sententia, qualem utrumque distichon praebet, contrarium acutius exprimi? Nonne conferenti Theognidis v. 493

ὑμεῖς δ' εὖ μυθεῖσθε παρὰ κρητῆρι μένοντες

et v. 981

μηδὲ παρὰ κρητῆρι λόγοισιν ἐμὴν φρένα θέλγοις

et quae exempla Valckenaer ep. ad Rowerum (Opuscul. I, p. 376) hisce verbis affert: nam sicut alii passim παρ' οἴνῳ vel παρ' οἶνον, ita παρὰ κρητῆρα, παρὰ κρητῆρας, παρὰ κρητῆρι dixerunt: Pind. Nem. IX, 107 (IX, 49 Boeckh):

θαρσαλέα δὲ παρὰ κρητῆρα φωνὰ γίνεται. Telestes Selinuntius apud Athen. XIV p. 626 A (Anthol. Lyr. ed. Hiller p. 234)

Πρῶτον παρὰ κρητῆρας Ἑλλάνων ἐν αὐλοῖς
συνοπαδοὶ Πέλοπος ματρὸς ὀρείας
Φρύγιον ἄεισαν νόμον,

Apoll. Rhod. II, 158: οὐδέ τιν' ὕπνος

εἷλε παρὰ κρητῆρι καὶ αἰθομένοις ἱεροῖσιν

affert, certum tibi videtur aptius dici: πολλοί τοι[1] πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι quam πολλοὶ παρ κρητῆρι φίλοι γίνονται ἑταῖροι quod de combibonibus tantum recte dici potest, et παρ κρητῆρι in hoc distichon e Theognidis locis, quos supra attuli, irrepsisse? Adde quod cur distichon illud immutatum a nescioquo additum sit neminem fugiet, qui versus qui antecedunt accuratius legerit. v. 641:

οὔ τοί κ' εἰδείης οὔτ' εὔνοον οὔτε τὸν ἐχθρόν,
εἰ μὴ σπουδαίου πρήγματος ἀντιτύχοις.

Sed quod in initio huius distichi particula τοι reperiebatur, non commodum videbatur ei, qui versus infra positos composuit, illam repetere, sed verba ita varianda erant, ut sententia non discreparet.

---

[1] idem hexametri initium vide in v. 161, 315 (quem Solonis esse constat), 693, 965 et in Phocylideis 7, 1.

Recte Studemund, vir doctissimus, (p. 36) docti alicuius lectoris manum tamquam locum parallelum ad v. 642 appinxisse notissimam illam atque ad taedium repetitam sententiam putat. Nihil igitur dubitationis relictum iri speramus quin sententia priore loco tradita genuinam prae se ferat speciem.

Idem iudicium mihi quidem ferentum videtur de v. 209 et 210

Οὐδείς τοι φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος
τῆς δε φυγῆς ἐστιν τοῦτ' ἀνιηρότερον.

In codice A tantum hi versus post v. 332 sic leguntur:

Οὐκ ἔστιν φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος
τῆς δὲ φυγῆς ἐστιν τοῦτ' ἀνιηρότατον.

Non possum non adversari Bergkio et Hermanno Schneidewin, quorum uterque consentiens cum Kuellenbergio (p. 32). Theognidis verba fidelius servata esse putat ea, quae altero loco traditur lectione et Cruegero[1] eiusque magistro Jordan adstipulandum censeo, qui v. 209 genuinam lectionem servatam putant. Non facile cuiquam persuadebitur οὐκ ἔστι germanam esse lectionem, sed ut distichi exordium in medio relinquamus, nonne exitus multo clarior et firmior videtur comparativo adhibito, qui nihil dubitationis relinquat, quomodo genetivus τῆς δὲ φυγῆς intellegendus sit, quam sollemni illa superlativi forma, quae quater in Theognideis (v. 124, 258. 812, 1256) occurrit?

Non potest ne cogitari quidem vis sententiae absolutius atque perfectius expressa quam eis verbis, quae priore loco duplici codicum A et O testimonio munita leguntur. Quod autem Bergkius v. 209 et 210 post v. 332 loco sane commodissimo iteratos censet, mihi quidem secus videtur repetitio ista insulsa male ac molesta, ut Catulli verbis utar. Hi versus post v. 332 suum locum non habent, sed lectoris manu additi sunt, qui non recto iudicio usus aliqua argumenti necessitudine cum v. 333 et 334

---

[1] O. Crueger: De locorum Theognideorum apud veteres scriptores exstantium ad textum poetae emendandum pretio. Regimontii dissert. inaugural. 1882.

Μήποτε φεύγοντ' ἄνδρα ἐπ' ἐλπίδι, Κύρνε, φιλήσῃς
οὐδὲ γὰρ οἴκαδε βὰς γίνεται αὐτὸς ἔτι

coniunctos esse videatur opinatus esse. Et habet aliquid momenti, quod librarius codicis O, cum priorem locum memoria teneret, molestam iterationem nescio an consulto evitavit. (cf. Studemund p. 36).

Anceps autem iudicium est de versibus, qui post versus, quos modo tractavimus, in codicibus exarati sunt, versus dico 211 et 212, infra et in Mutinensi et in Vaticano post v. 508 repetitos. Priore loco versus sic leguntur:

Οἶνόν τοι πίνειν πουλὺν κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν
πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακός, ἀλλ' ἀγαθός.

Altero autem loco sic:

οἶνος πινόμενος πουλὺς κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν
πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακόν, ἀλλ'ἀγαθόν.

Utra distichi forma germanam praebeat speciem vix poterit diiudicari.

Quod Bergkius v. 211 et 212 e v. 509 et 510 aperte esse distortos nullis additis argumentis pronuntiat non mirabimur, quippe cui nunquam non versus altero loco traditos pristinam retinere speciem persuasum sit. Ne illud quidem viro doctissimo concedendum erit versus infra positos aptiore loco servatos esse. Immo nobis videntur hoc loco additi esse a diasceuasta quodam, qui, ubi multi ad vinum vinolentiamque pertinentes versus in Theognideis leguntur, continuum sententiarum nexum restituens ne hoc quidem disticho carere voluit et ut sententiae argumentum augeretur, exordium distichi ita immutavit, ut vinum, de quo agitur, fieret subiectum enuntiati. cf. v. 261 οὔ μοι πίνεται οἶνος.

Certe in errore versantur, qui propter particulam τοι in exordio v. 211 positam sibi odorari videntur eam distichi formam non esse genuinam. Cum neque huius temporis neque huius loci sit totam quaestionem, quae est de usu particulae τοι apud poetas gnomicos, absolvere, hoc possumum libere profi-

teri tantum abesse, ut usitatissima illa particula ad versus in suspicionem vocandos impellamur, ut plerisque Theognideorum locis cogamur eam tueri. Quamquam negari non potest inveniri locos, quibus particula τοι in locum alterius substituta sit. cfr. v. 153 et 154

τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται
ἀνθρώπῳ καὶ ὅτῳ μὴ νόος ἄρτιος ᾖ.

Cuius distichi non hexametrum solum, sed etiam pentametrum e Solonis, cui iam Hartungius vindicaverat, distichis esse detortum didicimus ex Aristotelis Ἀθηναίων πολιτείᾳ nuper inventa, cuius in capite duodecimo legimus:

δῆμος δ'ὧδ' ἂν ἄριστα σὺν ἡγεμόνεσσιν ἕποιτο
μήτε λίαν ἀνεθεὶς μήτε βιαζόμενος
τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται
ἀνθρώποισιν ὅσοις μὴ νόος ἄρτιος ᾖ.

Transeamus nunc, si placet, ad versus 213—218, de quibus Christ (Gesch. d. griech. Litteratur ed. II, p. 115) rectissime indicans ullo exemplo luculentiore patefieri negat duarum apud Theognidem exstantium sententiarum unam veram et archetypam, alteram breviorem atque ad sermonem cotidianum accomodatam esse. Post v. 1070 a-b, quos e v. 877—878 ortos esse infra videbimus, haec duo disticha sequuntur:

1071 Κύρνε, φίλους πρὸς πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος
συμμίσγων ὀργὴν οἷος ἕκαστος ἔφυ.
νῦν μὲν τῷδ' ἐφέπευ, τοτὲ δ'ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν·
κρεῖσσόν τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς.

Sic hi versus et in A et in O traditi sunt leviusculis quibusdam calami erroribus neglectis. Qui versus quid sibi velint manifestum est. Sed vide mihi, quam non in alterius distichi hexametro sententia prioris continuetur quamque vulgariter, ne dicam inepte pentameter cadat. Quantum mutati ab istis Theognidis versus 213—218

Κύρνε, φίλους κατὰ πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος,
ὀργὴν συμμίσγων ἥντιν' ἕκαστος ἔχει.
Πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ,
τῇ προςομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
νῦν μὲν τῇδ' ἐφέπευ, τοτὲ δ'ἀλλοῖος χρόα γίνευ.
κρέσσων τοι σοφίη γίνεται ἀτροπίης.

Apparet ex his versibus poeta dignissimis istos, de quibus supra diximus, contractos esse et omisso medio disticho, quo Theognis nescio an poetas antiquiores secutus,[1] Cyrno polypi pelagii naturam ad imitandum proponit, fieri non potuisse, quin τῇδ' et χρόα γένευ, quae ad bestiolam illam pertinerent, mutarentur. Quanto autem melius dictum sit in ultimo pentametro γίνεται ἀτροπίης quam καὶ μεγάλης ἀρετῆς facile est ad intellegendum.

In verborum autem collocatione ὀργὴν συμμίσγων possumus acquiescere neque opus est traiectione, quam ad exemplar v. 312 γινώσκων ὀργὴν ἥντιν' ἕκαστος ἔχει factam esse probabile est.

Quod iam in v. 214 vidimus, traiectionem dico primorum versus vocabulorum, idem in v. 367—368 occurrit

Οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ἀστῶν ὅντιν' ἔχουσιν
οὔτε γὰρ εὖ ἔρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς,

qui post v. 1184 sic immutati iterum scripti sunt:

ἀστῶν δ'οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὅντιν' ἔχουσιν
οὔτε γὰρ εὖ ἔρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς.

Verborum positura prioris loci οὐ δύναμαι γνῶναι simplicissima est neque quicquam per se habet suspicionis, cf. v. 695: οὐ δύναμαί τοι, θυμέ, παρασχεῖν ἄρμενα πάντα, ubi et Wordsworth (Theocrit. Cantabr. 1846 p. 44) et Usener (Fleckeiseni annal. philol. 1878 p. 69) epicam infinitivi formam παρασχέμεν metri causa restituunt. At verba altero loco traiecta

ἀστῶν δ'οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὅντιν' ἔχουσιν

---

[1] cf. Bergkii ad v. 215 adnotationem.

eo maxime commendantur, quod hoc modo si versum scripserimus, Theognis spondiaco vocabulo in sede quarta ante caesuram bucolicam liberatur. Recte enim in universum H. Usener, vir doctissimus, tale vocabulum pede quarto ante caesuram bucolicam collocatum ab arte Theognidea abhorrere docuit. Concedendum illud quidem est Godofredo Hermanno (ad Orphica p. 730) ex metricis observationibus, quae per se leves et parvi momenti sint, magnum quendam fructum percipi posse et si in loco ob gravem causam suspecto etiam numerus a legitimo usu alienus reperiatur, huic quoque argumento aliquid tribuendum esse; sed cum hexameter, de quo dicimus, aliis suspicionibus omnino careat, mirandum est virum principem illum criticorum ex eo, quod quo loco caesura est in fine quarti pedis, dactylum spondeo non praetulit poeta, emendationem faciendam esse cum censeret, Brunckium secutum esse, qui primus lectionem versus iterati:

ἀστῶν δ'οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὄντιν' ἔχουσιν

recepit e v. 24, ni fallor,

ἀστοῖς τοῖσδ' οὔπω πᾶσιν ἁδεῖν δύναμαι

ortam. Verum enimvero quod in Homeri carminibus non inusitatum inauditumque invenitur,[1] id Theognidi hoc loco haud scio an condonandum sit. Nam tantum abest, ut particula δὲ doceat, id quod H. Schneidewin (p. 20) vult, versus ex ipso sententiarum nexu ita ut ante eos lacuna statuenda sit, sumptos esse, ut argumento esse possit additam esse particulam ab eo, qui sententiarum nexum restituere in animo haberet.

Iam venimus ad distichon multum a viris doctis tractatum. In utroque codice v. 409—410 ita leguntur:

Οὐδένα θησαυρὸν παισὶ καταθήσει ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥτ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἕπεται.

Pro παισὶ in A O levi neglegentia exarato παισὶν esse scribendum omnes fere consentiunt; pro καταθήσει utrum καταθήσῃ

[1] cf. E 484.

an καταθήσεαι id quod O. Crueger[1] voluit, restituendum sit dubium est; certe illud in deterioribus codicibus e coniectura scriptum est. Legendum igitur est distichon

οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσῃ ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥτ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἕπεται.

His verbis praeceptum optimum continetur. Substantivum autem αἰδώς, quod quam variis notionibus a poetis Graecis usurpatum sit testimonio esse possunt Hesiodi versus sive genuini sive insiticii O. D. 312—313

αἰδὼς δ'οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζειν
αἰδώς, ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησιν
αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίῃ, θάρσος δὲ πρὸς ὄλβῳ,[2]

de quibus vide Kirchhoffium (Hesiods Mahnlieder an Perses p. 66) et Peppmuellerum in Fleckeiseni annal. philol. 1890 p. 647, commisit, ut distichon non ex omnibus partibus recte intellegeretur. H. Grotius, ut assolet, recte interpretatus est:

Nulla potest animo res tam pretiosa recondi
quam pudor, haec dos est propria, Cyrne probis

neque W. E. Weber a vero aberravit, cum verba in vernaculum sermonem ita transferret:

Besser Vermächtnis kannst Du zurück nicht legen den Kindern
Als Scham, Kyrnos, an der wackere Männer man kennt.

Versus 409—410, quorum neque argumento nec verbis iure offendimur, multum immutati iterum in libris manu scriptis A O leguntur:

v. 1161 οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσειν ἄμεινον,
αἰτοῦσιν δ'ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδου.

παισὶν καταθήσειν, quod A solus praebet, cum metro repugnet, ad librum O confugiemus, qui metro satisfaciens verba inverso

---

[1] l. c. p. 24.

[2] cf. v. Wilanowitz-Möllendorff ad Euripidis Heracl. v. 557. Man sieht, wie verschiedenartig die Gottheit (Αἰδώς) wirkt, in der schon Hesiod Erg. 318 und nach ihm Eurip. Hipp. 384 (non 354), Erechth. frg. 367 N. ein Doppelwesen erkannt hatten.

ordine καταθήσειν παισὶν praebet. Quod distichon quid sibi velit facillime intellegitur: Non melius est filiis thesaurum coacervare, sed potius petentibus viris bonis, Cyrne, dato. Haec fere exprimere voluisse poetam apparet. Sed ne plurimas offensas et ad grammaticam et ad verborum structuram pertinentes repetamus, quas O. Crueger p. 26 dissertationis enumeravit, quam inepta, ne dicam futilis sit sententia luce clarius est neque quisquam erit, quin concedat; cf. Usenerum in Fleckeiseni annali philologo 1878 p. 70. Quod vero O. Crueger in Welckeri sententiam pedibus it, a quo versus in parodiarum numerum recepti sunt, miror. Nam si quis versus istos per parodiam corrumpere in animo habuit, ei per totum distichon, non per unum pentametrum cavillandum ludibriumque exercendum fuit. Nati sunt atque detorti v. 1161—1162 e. v. 409—410. Concedimus — nam nimia est verborum similitudo —, sed hoc non ita factum videtur, ut hominis alicuius ingeniolum in eis lusisse putemus; rectius lectionis discrepantiae ita videbuntur ortae esse, ut verba in codice antiquiore vitiata a nescio quo restituta sententiamque inficetam illam quidem et poeta indignam expressam esse iudicemus. Quae cum ita sint, facere non poterimus, quin de duobus in libris exstantibus distichon illud tantummodo Theognidi assignemus, quod versibus 409—410 continetur. At fortasse quispiam dixerit totius argumentationis nostrae summam vacillare et claudicare ea re, quod eam distichi recensionem, quam Stobaeus XXXI 16 in capite περὶ αἰδοῦς exhibet, omnino non respeximus. Quod secus se habere facile cognosces, si eclogam in hunc modum apud Stobaeum concinnatam accuratius inspexeris:

Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσεαι ἔνδον ἀμείνω
αἰδοῦς, ἣν ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδως.

Hos versus sive a Stobaeo sive ab eo, cuius scrinia ille compilavit, e duabus apud Theognidem exstantibus recensionibus ita conglutinatos esse apparet, ut pro παισὶν ἔνδον et in pen-

tametri exitu pro imperativi forma δίδως substitutis sententiam novam eamque haud ita commodam fingeret. Stobaei igitur recensio cum loco sinceri testis haberi non possit, recte fecimus quod diiudicaturi utra in Theognideis servata forma distichi genuina aestimanda sit, eclogam Stobensem negleximus. Idem Bergkius in quarta Poetarum Lyricorum Graecore editione fecit, qui in tertia ad genuniam poetae sententiam restituendam δίδως ex Stobaeo depromere non erat veritus. Pentametri autem exitum priore loco recte servatum esse cum alii loci (v. 150. 164. 310) argumento sunt, tum v. 635:

ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς ἕπεται γνώμη τε καὶ αἰδώς.

Priusquam hunc locum multis coniecturis tentatum relinquamus, restat ut illud refutare conemur, quod in M. Schmidtii (Mus. Rhen. Nov. XXVI p. 191) et Useneri (in Fleckeiseni annal. phil. 1878 p. 70) offensionem cecidit. Hi enim viri docti cum sibi persuasissent fieri non posse ut in disticho ad Cyrnum adulescentem dato pervulgatum praeceptum inesset, quo quid liberis tradendum esset decantaretur, παισὶν de medio sublato alius aliud proposuerunt. Iniuria. Quam Theognis puer ab optimatibus accepit doctrinam, eam Cyrno tradit. Non modo pietatem, constantiam, dignitatem, moderationem, gravitatem, omnes denique virtutes commendare solet, sed iterum atque iterum de uxoribus non divitibus, sed bonis atque nobilibus ducendis et de liberis fortibus ac bonis procreandis monet. Illa virorum doctorum sententia si vera esset, multos sane versus eosque optimos a Theognide abiudicare cogeremur. Ut tandem aliquando totam disputationem concludamus, v. 409 et 410 Theognidi ipsi adscribendos esse censeo.

Versus 415—418 in A et O sic leguntur:

Οὐδέν' ὁμοῖον ἐμοὶ δύναμαι διζήμενος εὑρεῖν
πιστὸν ἑταῖρον, ὅτῳ μήτις ἔνεστι δόλος.
ἐς βάσανον δ'ἐλθὼν παρατρίβομαι ὥστε μολύβδῳ
χρυσός, ὑπερτερίης δ'ἄμμιν ἔνεστι λόγος.

praeterquam quod ultimum alterius pentametri verbum in O non λόγος, sed νόος est. His verbis sententia exprimitur a Theognidis mente sensuque omnino non disiuncta, sed poetae naturae quam maxime conveniens. ὑπερτερίης δ'ἄμμιν ἔνεστι λόγος ita intellegenda esse, ut iam Welcker voluerit, recte Hiller (Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft 1888 p. 147) monuit. λόγος ὑπερτερίης, per periphrasin, pro ἡ ὑπερτερίη ἡμῖν ἔνεστι, nemo nos aequat. ὑπερτερίην enim noli cum Bergkio superbiam interpretari, quam ex Hesychii ὑπερτερίῃσι νεωτερισμοῖς, ὑπερηφανίαις derivavit, sed potius accipe pro praestantia. Iam videamus leviusculis vitiis neglectis, quantum immutati eidem versus post v. 1164 repetantur: pro οὐδέν' in v. 415 A O habent οὔτιν', in v. 417 pro παρατρίβομαι ὥστε παρατριβόμενός τε, δ' post ὑπερτερίης locatum uterque omittit. Versus hoc loco exhibitos melius servatos esse Schneidewin solus, quantum video, perperam contendit. Ut οὔτιν' pro οὐδέν' substitutum mittamus, παρατριβόμενός τε μολύβδῳ e. v. 1105 originem traxit:

ἐς βάσανον δ' ἐλθὼν παρατριβόμενός τε μολύβδῳ
χρυσὸς ἄπεφθος ἐὼν καλὸς ἅπασιν ἔσῃ,

quocum omnibus numeris concinit, non minus quam clausula pentametri alterius in O, qui infra quoque νόος habet, e v. 88:

εἴμε φιλεῖς καί τοι πιστὸς ἔνεστι νόος

et 623

πᾶσν δ'ἀνθρώποις αὐτὸς ἔνεστι νόος,

quo num recte Usener (Altgriechischer Versbau p. 52) nihil nisi lacunam expleri contenderit ambiguum est.

Contemplemur iam versus 441—446, qui in codicibus A et O paullum immutati post v. 1162 iterantur.

Οὐδεὶς γάρ πάντ' ἐστὶ πανόλβιος· ἀλλ'ὁ μὲν ἐσθλὸς
τολμᾷ ἔχων τὸ κακὸν κοὐκ ἐπίδηλος ὅμως
δειλὸς δ'οὔτ' ἀγαθοῖσιν ἐπίσταται οὔτε κακοῖσιν
θυμὸν ἔχων μίμνειν· ἀθανάτων δὲ δόσεις
παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχοντ'· ἀλλ'ἐπιτολμᾶν
χρὴ δῶρ' ἀθανάτων, οἷα διδοῦσιν ἔχειν.

In v. 441 γάρ, quod priore loco A praebet, omisit O, infra in duobus codicibus exstat. Quae particula cum argumento sit haec disticha olim fuisse coniuncta cum prioribus nescio quibus versibus, certe non iis, qui in codd. hodie servatis antecedunt (v. 439—440) non magis importuna est quam πάντα, quod quam apte cum πανάλβιος coniungi potuerit, Passow ostendit; cf. Bekkeri adnotationem ad v. 441 et Lobeckium ad Sophocl. Aiac. v. 866 et v. 1415. Itaque nec coniecturis removenda nec cancellis saepienda sunt. In v. 442 O infra non κοὐκ, sed οὐκ, uterque infra ἐπίδηλον, A priore loco ὁμῶς exhibet. Ut mittamus levidenses discrepantias librariorum culpa ortas — ὅμως et ὁμῶς quam saepe alterum alteri substituatur constat cf. v. 1029 et Lobeckium ad Sophocl. Aiac. v. 1372 — apparet ἐπίδηλον scriptum esse ab homine quodam, qui cum ignoraret, quo nominativus pertineret, depravato sensu accusativum ad antecedens τὸ κακὸν referri voluit. Quidnam vult poeta? Bonos homines dicit, si quid adversi acciderit, id perferre neque in malo sustinendo gloriari, sed sive fortis animus ab aliis cognoscatur, sive non cognascatur, perferre. Vide mihi quam apte hoc loco ὅμως postpositum sit. B. Keilium, v. d., qui in Hermae vol. XXIII p. 380 adnotatione prima propter copulam, quae in κοὐκ inest, fieri posse negat, ut ὅμως legatur, me non intellegere fateor. In proximo versu noli mirari in O ἀγαθοῖσιν et κακοῖσιν traiecta esse; sapissime enim factum est, ut haec adiectiva locum inter se mutarent. Hoc vero loco non est dubium, quin ea sola adiectivorum collocatio vera sit, quae codicis A auctoritate duobus locis comuendetur. Quid enim? qualem sententiam poeta exprimere vult? Postquam luculentis verbis virum bonum mali esse patientem exposuit, pergit: pravus autem neque in rebus secundis neque in adversis scit quid? paulisper opperire, quaeso, dum de v. 444 exposuerimus lectionumque discrepantiam perpenderimus. Etenim cum A et O hoc loco θυμὸν ἔχων μίμνειν exhibeant, in iteratione θυμὸν ὁμῶς μίσγειν praebent neque quisquam inde ab J. Bekkeri prima

editione fuit, quin huic lectioni adstipularetur, illi adversaretur. Henricus autem Jordan enixus est et contendit, ut etiam hoc loco lectionem prioris loci lectioni alterius praestare ostenderet. Neque tamen hanc sententiam, quantum video, viris doctis probavit. Equidem non vereor re hoc quidem loco ei assentiri; namque θυμὸν ἔχων μίμνειν si legimus, optime procedit sententiarum ordo iamque in eo est, ut enuntiatum antea incohatum ad finem perducamus: pravus autem neque in rebus secundis neque in adversis scit obstinata mente obdurare. Hoc modo aptissime oppositi sunt boni homines, qui calamitatem vel gravissimam perferant, pravis, qui neque in bonis neque in malis rebus durare didicerint. At θυμὸν ἔχων quid hoc sibi vult? Nonne semper legitur θυμὸν ἔχειν addito adiectivo vel pronomine vel adverbio? Scio hoc ita esse, cf. intra minus viginti versus ter apud Theognidem v. 748 καὶ τίνα θυμὸν ἔχων

v. 765 ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες

754 σώφρονα θυμὸν ἔχων

910 καὶ δίχα θυμὸν ἔχω

et apud Hesiodum O D 147 ἀδάμαντος ἔχον κρατερόφρονα θυμόν. Sed cum idem Hesiodus dicat (O. D. 441) μηκέτι παπταίνων μεθ' ὁμήλικας, ἀλλ' ἐπὶ ἔργῳ θυμὸν ἔχων, Theognidi eodem hexametri loco non abiudicandum erit: δειλὸς οὔτ' ἀγαθοῖσιν ἐπίσταται οὔτε κακοῖσιν θυμὸν ἔχων μίμνειν· cf. v. 395—396, quibus contrarium viro bono attribuitur:

τοῦ μὲν γὰρ τὰ δίκαια φρονεῖ νόος, οὔτέ περ αἰεὶ
ἰθεῖα γνώμη στήθεσιν ἐμπεφύῃ.

Contra θυμὸν ὁμῶς μίσγειν quid sibi velit, plane me fugit. Certe enuntiatio, qua dicitur pravos nec bonis nec malis rebus pariter animum miscere didicisse vel, ut W. E. Weber vertit:

Feige dagegen verstehen so wenig dem Glück
wie dem Leide
Gleich zu gebehrden den Mut!

hoc loco minime quadrat, ubi et in primis et in extremis versibus praecipitur: persta atque obdura! Quid de lectionum

discrepantiis in ultimis huius eclogae versibus iudicandum sit, valde dubito. Jordano (p. 14) si fides habenda est, pro δὲ iterato loco in utroque codice τε exaratum est, cum Bergkius testetur etiam priore loco in A τε legi. Utut est, possumus in lectione recepta acquiescere neque opus est cum Usenero γε scribi. Neque eo, quod altero loco in O ἐπέρχετ' exaratum est, persuaderi nobis poterit, ut δόσεις παντοῖαι pluralem cum A. Corssen (adnot. pag. 33) in singularem mutemus, quamvis concedendum sit hoc modo Theognidem liberari spondeo in quarto pede ante caesuram bucolicam posito, quo carere solet. Verum enimvero ut in v. 367 ratiocinationem nostram metrica observatione non ab omnibus partibus certa tolli non passi sumus,[1] ita ne hoc quidem loco ἐπέρχοντ' multo melius traditum furcis expellere cogimur. Quae cum ita sint, versus priore loco servatos germanos existimabimus.

Ad sequentem locum transeo. Versus 555—556

χρὴ τολμᾶν χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσι κείμενον ἄνδρα
πρός τε θεῶν αἰτεῖν ἔκλυσιν ἀθανάτων.

infra post v. 1178 ita immutati leguntur, ut melius sit eos totos exscribi.

τολμᾶν χρὴ χαλεποῖσιν ἐν (ἐπ' O) ἄλγεσιν ἦτορ (B ἧπαρ) ἔχοντα
πρὸς δὲ θεῶν (πρός τε θεῶν δ') αἰτεῖν ἔκλυσιν ἀθανάτων.

Ac primunm quidem concedamus diiudicari vix posse, utrum distichi exordium praeferendum sit, quamquam non mirabimur, si qui τολμᾶν χρὴ poetam scripsisse sibi persuaserit, commiserit, ut eundem argutius et nimia usum affectione verba collocavisse putemus. Certe χρὴ τολμᾶν magis ad normam simplicitatis

[1] cf. W. Kunst: Der Hexameter des Theocrit III. Excurs in tertio vol. operis Rossbachii et Westphalii 1890 p. 854. Trotzdem ist der Spondeus vor der bukolischen Caesur auch hier nicht überall durch Konjektur zu entfernen.

Theognideae directa sunt quam τολμᾶν χρή, quae verba et ipsa in initio v. 591

τολμᾶν χρή, τὰ διδοῦσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν

occurrunt.

Verba autem ἐν ἄλγεσι κείμενον ἄνδρα multo praestare eis, quae in iteratione sunt ἦτορ ἔχοντα omnes uno ore consentiunt praeter Sitzlerum (Neue Philolog. Rundschau 1886, p. 242). Sed exempla ab eo allata neque in hunc locum quadrant neque eis comprobatur ἦτορ ἔχειν dici potuisse. Qui factum sit, ut ἦτορ ἔχοντα — de lectione codicis O verbis non opus est — quod nihili est, in hexametrum posteriore loco irreperet, explicandi multae possunt excogitari viae; cf. Schneidewin p. 21.

Jam perscrutemur eos versus, quos Schneidewin primo loco p. 20 tractavit, v. 571—572, qui infra post v. 1104 leguntur.

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ'ἄριστον
πολλοὶ ἀπείρητοι δόξαν ἔχουσ' ἀγαθῶν.

Infra, ubi idem distichon repetitum invenimus, hexameter non est variatus, in pentametro A habet ἀγαθοί, in O non ἀγαθήν, sed Studemundo teste ἀγαθῶν quam ἀγαθῶ scriptum esse paulo probabilius est. Qui versus si priore tantum loco servati essent, nihil cuiquam offensioni futurum fuisse pro certo affirmaverim; namque verba in A et O pari modo tradita non modo sensu non carent, sed sententiam exprimunt rotundam atque integram neque a Theognidis ingenio alienam. Scheidewin etsi de loctionis varietate anceps esse indicium concedit, tamen in eorum numero videtur esse, qui alteram ultimae distichi vocis lectionem praeferant. Iniuria meo quidem indicio, nam quamvis constet Theognidem homoeoteleuta adamasse, tamen non est neglegendum ἀγαθῶν multo melius traditum esse melioremque hac lectione servata erui sententiam. Quod Schneidewin distichon post v. 1104 collocatum optime congruere cum insequenti contendit:

ἐς βάσανον δ'ἐλθὼν παρατριβομενός τε μολύβδῳ
χρυσὸς ἄπεφθος ἐὼν καλὸς ἅπασιν ἔσῃ

non possumus ei astipulari, etsi videmus Hillerum virum doctissimum in anthologia lyrica utrumque distichon dissuadente Bergkio coniunxisse. Hi versus 1105—1106 hoc loco plane non sunt archetypi, sed foede consarcinati e v. 417

ἐς βάσανον δ'ἐλθὼν παρατρίβομαι ὥστε μολύβδῳ χρυσός

et v. 450:

εὑρήσεις δέ με πᾶσιν ἐπ' ἔργμασιν ὥσπερ ἄπεφθον
χρυσόν, ἐρυθρὸν ἰδεῖν τριβόμενον βασάνῳ.

Talium versuum, qui conglutinatoris manus redolent, cum nos taedeat, moleste eos repetitos existimamus neque possumus hoc loco non stare a Welckeri partibus breviter ad v. 1127 (1105) adnotantis: puerum intellege. Quo magis grandiloquus locus erat, eo facilius in deteriorem et iocularem sensum detorquebatur. Ita etiam verbis e versibus 417—418 petitis abusus ioculator versificans locum pulcherrimum per parodiam corrupisse videtur.

Aliter se habet discrepans lectio in v. 619—620

Πολλ'ἐν ἀμηχανίῃσι κυλίνδομαι ἀχνύμενος κῆρ
ἄκρην γὰρ πενίην οὐχ ὑπερέδράμομεν,

qui infra post v. 1114 in libris manu scriptis ita immutati sunt:

Πολλὰ δ'ἀμηχανίῃσι κυλίνδομαι ἀχνύμενος κῆρ
ἀρχὴν γὰρ πενίης οὐχ ὑπερεδράμομεν.

Quae priore loco leguntur sana sunt neque ut verbis corruptis medicinam quaereret, sed ut sententiarum nexum quendam efficeret, nescio quis particulam δὲ hexametri imitio obtrusisse videtur; nam κυλίνδεσθαι ἔν τινι recte dicitur cf. Pind. Pyth. II, 23

ἐν πτερόεντι τροχῷ

παντᾶ κυλινδόμενον sc. 'Ἰξίονα.' In pentametro autem aut cum Jordano p. 11 in lectione priore loco et in A et in O tradita acquiescere possumus aut cum Schneidewino patre et Bergkio

(Mus. Rhen. Nov. III p. 399 adnotat.) legendum est ἄκρην γὰρ πενίης cf. H. Schneidewin p. 27 alteram adnotationem et Euripidis locum apud Stobaeum IV p. 15 servatum:

ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν κακῶν.

Neque quod vir doctus quidam (Philil. Anzeiger 1883 p. 435) ex Hesychii loco non ita limpido depromptum scribi iussit: τάρχην γὰρ πενίης neque quod Engenius Löw (Quaestiones Theognideae Petropoli 1887 p. 63) commendavit: ἀκμὴν γὰρ πενίης in locum verae lectionis succedere possunt. Qui vero altero loco ἀρχὴν γὰρ πενίης interpolavit, quid poeta vellet omnino non intellexit, non enim de paupertatis exordio sermo est, sed ut H. Grotii interpretatione utar:

Nondum in pauperie quod summum evasimus; unde
cor maeret trepidis sollicitudinibus.

Non modo initia hexametrorum altero loco immutata leguntur, sed etiam in clausulis interpolatorum libido grassata est, velut cum v. 853—854 sic scribantur

Ἤιδεα μὲν καὶ πρόσθεν, ἀτὰρ πολὺ λώϊα δὴ νῦν
οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί' ἐστι χάρις,

post v. 1030 iterati hanc praebent speciem:

Ἤιδεα μὲν καὶ πρόσθεν, ἀτὰρ πολὺλώϊον ἤδη.

ᾔδεα primus invexit Hieronymus Commelinus in epistola ad Davida Hoerschelium data, quae Theognidis reliquorumque poetarum gromographorum editioni Sylburgianae anni MDXCVII praefixa est; legebatur enim et in A et in O teste Studemundo ἡδέα. Priore loco in A clausula hexametri est λώϊα δὴ νῦν, in O λώϊα ἢ νῦν, altero loco in utroque codice λώϊον ἤδη. Adjectivum λώϊος occurrit etiam in v. 96 Theognidis: ὃς κ'εἴπῃ γλώσσῃ λῷα, φρονῇ δ'ἕτερα, ubi Bergkius λῷα restituit ex A O, qui λώϊα exhibent[1] et in versu 32 carminis, quod Ληναὶ inscribitur et Theocrito falso adscribitur:

εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ'οὐ

[1] Quod cum Wilamowitzius neglexisset, ad Euripidis Heraclis v. 196 adnotavit: **πολὺ λώϊα** im Sinne von **πολὺ μᾶλλον** Theogn. 853 ist

neque dubium est, quin λώϊος forma, quam testificatur Arcad. de acc. 41, etsi positivus est, et bonum et meliorem significet. Nam quamvis G. Meyero (Griech. Grammat. p. 367) concedendum sit in vocis illius originem nondum satis certe inquisitum esse, tamen in huius positivi forma comparativam inesse vim non minus certum est quam in formis χέρηϊ, χέρηα, χέρηες, χέρηα, quas esse casus positivi obsoleti χέρης facile suspiceris.[1] λώϊα igitur est nominativus pluralis neutri generis adiectivi λώϊος, non forma per syncopam ex λωΐονα orta, ut Passow in quinta lexici editione eam vult accipi, habet autem comparativi vim. Quod ita se habere cum ignoraret qui versus iterari voluit, pro arbitrio quod non ceperat correxisse poetamque elegantiorem reddidisse sibi visus est scribendo λώϊον ἤδη, quo factum est, ut poeta non modo proprio adiectivi λώϊος usu privaretur, sed etiam verba δὴ νῦν consulto contrarie eis, quae antecesserant, καὶ πρόσθεν relata funditus delerentur. Has particulas δὴ νῦν oppositas particulae πρόσθεν infra quoque in v. 1095—1096 reperimus. Noli sodes me vituperare, quod Tyrtaei locum, quo item rara comparativi forma a librariis expulsa est, affero. In Tyrtaei frg. 12 v. 6

πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύρεω μάλιον

pro comppratívi forma μάλιον ab Hesychio et Choerob. Orth. p. 248 confirmata codex A μᾶλλον, B πλέον exhibet. Eandem autem comparativi formam Theognidi num recte restituerit R. Peppmueller p. 3 Exercitationum criticarum (Progr. gymnasii Seehausen i. Altm. 1887) valde dubito. In v. 173—174

ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη πάντων δάμνησι μάλιστα
παὶ γήρως πολιοῦ, Κύρνε, καὶ ἠπιάλου

omnia recte se habent, neque cum Heimsoethio pro πολιοῦ πλεῖον neque cum Peppmuellero μάλιον scribi opus est.

---

ganz unbegreiflich, sed in adnotatione indicis verborum p. 306 addidit: Der Positiv *λῷα* steht bei Theognis 96 wirklich eoque iudicium illud gravissimum, quod de verbis *πολὺ λώϊα* tulerat, ipse sustulisse videtur.

[1] cf. Lobeck Pathol. El. I, 377 et Bergkium ad v. 853.

Sed ne hanc digressionem longius extendamus, H. Schneidewin, quippe qui semper fere antiquiorem melioremque formam versuum loco inferiore deprehendisse sibi videatur, non mirabimur, quod ne extremis quidem, ut dicitur, attigit digitis hos versus, qui ab Hillero rectissime sic scribuntur:

877. Ἥβαμοι, φίλε θυμέ, τάχ' αὖ τινὲς ἄλλοι ἔσονται
ἄνδρες, ἐγὼ δὲ θανὼν γαῖα μέλαιν' ἔσομαι.

ἦβα μοι et Ahrensii et Bergkii palmaris est coniectura. In A ἡβάνοι exaratum esse Bergkius narrat, ἦβα μοι Jordan, in B Studemundo teste ἡβά οι traditum. Cum Bergkio lectionem codicis O revocare, qui pro τάχ' αὖ τινὲς habet τάχ' ἄντινες omnino non opus videtur. Infra autem post v. 1070 cum et in A et in O hexametri initium sic immutatum sit: Τέρπεό μοι, Bergkius facere non potest, quin eam lectionis varietatem ex interpretatione ortam esse libere confiteatur. Neque dubium est, quin vulgare illud τέρπεό μοι ab eo substituta sint, qui proprietatem verborum in archetypo codicum A et O traditorum aut ipse parum intellegeret aut ne a legentibus iusto minus intellegerentur metueret.

Versus 1095—1096

Σκέπτεο δὴ νῦν ἄλλον, ἐμοίγε μὲν οὔτις ἀνάγκη
τοῦθ' ἔρδειν· τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο.

iniuria Welckerus musae puerili attribuit; neque enim unquam, quod videam, in priore Theognideorum libro verbum ἔρδειν ad res venereas pertinet. Brunckius et Bekker distichon prioribus adhaerere putabant neque potest negari similis argumenti esse illud atque antecedentia; tamen et a prioribus et a sequentibus cum Bergkio atque Hillero seiungere videtur praestare. Hi versus mira varietate post v. 1160 sic scripti sunt:

ὦ νέοι οἱ νῦν ἄνδρες ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη
ταῦθ' ἔρδειν· τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο.

Qui tandem factum sit, ut hi versus paullo ante exhibiti iterum in collectionem reciperentur, controversia est inter

viros doctos quam non possumus dirimere. Fieri potest — id quod Studemundius in scholis docuisse videtur —, ut verba ὦ νέοι οἱ νῦν ἄνδρες initium distichi in codicum Theognideorum archetypo foede mutilati et ex disticho 1095—1096 parum scite suppleti sint. Neque vero repugnabimus, si quis asciverit et comprobaverit Hilleri sententiam opinantis nescio quem conatum esse e vestigiis veri exordii in antiquiore codice relictis, qualia sunt . . . . . εο . . . νῦν ἄ . . . . aliquid supplere.

Qui conatus quam non prospere successerit nemo non videt. Quod Bergkius proposuit sed non probavit apparere hanc eclogam ex inferiore loco in superiorem translatum esse, non vice versa, vix crediderim. Versuum repetitio, utut orta est, altero loco molestissima est et pronominis forma τοῦθ' in ταῦθ' mutata facile interpolatoris manus agnoscitur, qui verba sensu cassa neque simplicissimis grammaticae legibus oboedientia componere non sit veritus.

Jam ad finem prioris capitis, quo de omnibus locis intra librum α' iteratis nobis disputandum erat, pervenimus. Quo quid demonstrasse nobis videamur ut brevi complectamur: omnibus fere locis excepto uno alterore, in quo tractando nimis meae causae me studuisse non deerunt qui iudicent, Theognidis verba priore loco melius ac fidelius servata sunt quam eo, quo iterantur.

Priusquam autem ad eos versus iteratos, qui in appendice in A tantum tradita inveniuntur, accedamus, quo faciliorem ac tutiorem viam ad eorum naturam indolemque investigandam nobis muniamus, duo disticha tractari opus videtur, quas repetitiones quamvis immutates versuum prioris collectionis esse falso Schneidewin iudicavit. Versus enim 1243 — 1244

Δὴν δὴ καὶ φίλοι ὦμεν· ἔπειτ' ἄλλοισιν ὁμίλει
ἦθος ἔχων δόλιον, πίστιος ἀντίτυπον

tantum abest, ut eidem sint atque v. 597—598:

Δὴν δὴ καὶ φίλοι ὦμεν· ἀτάρτ' ἄλλοισιν ὁμίλει
ἀνδράσιν, οἳ τὸν σὸν μᾶλλον ἴσασι νόον

ut ex eis appareat, quomodo appendicis auctor et magnas versuum partes et vocabula insignia ad suos versus pangendos in suum usum converterit. Hoc loco v. 1243 a v. 597 eo tantum discrepat, quod pro ἀτάρτ' vulgare illud ἔπειτ' substitutum est. V. 597—598 ironice esse intellegendos v. 595: ἄνθρωπ', ἀλλήλοισιν ἀπόπροθεν ὦμεν ἑταῖροι argumento est; sed ut vim eroticam eis attribuere posset, pentameter illi, a quo appendix concinnata est, mutandus erat.

Idem factum esse videmus in v. 1353—1354, quorum prior idem est ac v. 302 mutata forma verbi substantivi in imperativum. Cuius distichi hexameter

Πικρὸς καὶ γλυκὺς ἴσθι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνής
λάτρισι καὶ δμωσὶν γείτοσί τ' ἀγχιθύροις,

quo praeceptum datur, qualia apud Hesiodum non sunt rara, usurpatus est, ut initium fieret carminis, quo quam molestum quamque dulce sit pueros amare exprimitur. Perversa igitur atque prava ratione versus Theognidei paulum mutati ita detorti sunt, ut ad rem amatoriam referrentur.

His praemissis iam transeamus ad quattuor illa disticha libri β', quae etiam in libro α' collectionis Theognideae exstant.

Post v. 1278 codex A duo disticha iterat, quorum alterum idem est ac v. 1101—1102, calami tantum erroribus vitiatum.

Ὅστις σοι βούλευσεν ἐμεῦ πέρι, καί σ' ἐκέλευσεν
οἴχεσθαι προλιπόνθ' ἡμετέρην φιλίην.

Quo loco hi versus in priore collectione in A et O exhibentur, recte eos a prioribus separavit Bekker et recte Camerarius cum scriberet ἀτελὲς τὸ ἐλεγεῖον· μέμφασθαι δὲ δοκεῖ τινα αἴτιον γεγονότα τῆς διαλύσεως τῆς τοῦ δεῖνα πρὸς τὸν ποιητὴν φιλίας· οὐκ εὖ συνεβούλευσεν ἢ ὄλοιτο, φησίν, ὁ συμβουλεύσας σοι ἀπολιπόντα ἐμὲ φοιτᾶν σε πρὸς ἄλλον poetae sententiam expressisse videtur. Quo consilio hi versus post v. 1275

—1278, quibus sententia de amore sollemnis continetur, additi sint difficile est ad dicendum. Quamvis nihil in eis insit, quod ad puerorum amorem referri debet, tamen erotica quaedam vis eis attributa ideoque versibus additi videntur, in quibus de amore agitur. Accuratis enim Corsenni quaestionibus constat appendicis auctorem e priore collectione permulta in usum suum convertisse. Is autem, qui et integris versibus et versuum partibus et dicendi formulis ad carmina amatoria pangenda usus est, nonne perverso studio adductus id quoque, quod aliquo modo de puerorum amore intellegi potest, arripuisse censendus est? An cum Bergkio putas distichon ex παιδικῶν volumine in priorem locum translatum esse? Vix crediderim.

Quos versus sequitur distichon, quod idem est ac v. 949 —950:

Νεβρὸν ὑπὲξ ἐλάφοιο λέων ὡς ἀλκὶ πεποιθὼς
ποσσὶ καταμάρψας αἵματος οὐκ ἔπιον.

Sunt hi versus exordium longioris eclogae prioris collectionis, quae e tribus distichis constat cumque versus, quos laudavi, intellegi non possint nisi tota ecloga imprimisque ultimo disticho lectis, totam exscribere non dedignabimur. Pergit igitur poeta his versibus:

τειχέων δ'ὑψηλῶν ἐπιβὰς πόλιν οὐκ ἀλάπαξα
ζευξάμενος δ'ἵππους ἅρματος οὐκ ἐπέβην
πρήξας δ'οὐκ ἔπρηξα καὶ οὐκ ἐτέλεσσα τελέσας
δρήσας δ'οὐκ ἔδρησ', ἤνυσα δ'οὐκ ἀνύσας.

Quid? quod hos versus Camerarius aenigma existimat et Welcker Jacobsi sententiam secutus aenigmatis sensum ita aperit, ut hunc quoque locum ad pueri amorem referat.

Quotienscunque hos versus legi Homericis luminibus dicendi ornatos, nunquam istuc delapsus sum, quod doctissimi illi viri sibi persuaserunt, sed existimabam et adhuc censeo esse eos versus Theognidis, qui desperatione fractus neque in privata neque in publica vita sibi quidquam successisse

queritur, quidquid enixus esset, frustra laborem et operam se consumpsisse.

Scio etiam alium prioris collectionis locum a Welckero carminibus amatoriis additum esse, v. 959—962

Ἔστε μὲν αὐτὸς ἔπινον ἀπὸ κρήνης μελανύδρου,
ἡδύ τί μοι δόκεεν καὶ καλὸν ἔμμεν ὕδωρ·
νῦν δ' ἤδη τεθόλωται, ὕδωρ δ' ἀναμίσγεται ἰλυῖ,
ἄλλης δὴ κρήνης πίομαι ἢ ποταμοῦ

neque dubito, quin in illis versibus κρήνη de puella, ποταμός de puero accipienda; si quidem extremo ultimi pentametri loco ἢ ποταμοῦ recte legitur neque cum Hartelio in Analectis, quae studiis Vindobonensibus a. 1879 inserta sunt, ἄλλης δὴ κρήνης πίομ' ἐπηετανοῦ aut cum Peppmuellero (p. 7) πίομ' ἀκηρασίου scribendum est. Tamen v. 949—954 Musae puerili attribui posse praefracte nego. Ille autem, qui primum distichon aliorum compage solvit, cum sciret saepius puerum cum hinnuleo comparari, impurum atque obscenum sensum attribuit et post v. 1278 iteravit.

Eodem modo v. 1107—1108, qui suo loco per se stant et poetae querelam continent, in amatorium sensum detorti et v. 1311—1318 ad puerum scriptis additi sunt.

Ὤμοι ἐγὼ δειλός· καὶ δὴ κατάχαρμα μὲν ἐχθροῖς,
τοῖς δὲ φίλοισι πόνος δεινὰ παθὼν γενόμην.

Cuius distichi pentameter priore loco sic scribitur, in A:

τοῖς δὲ φίλοις ὁ πόνος δειλὰ παθὼν γενοίμην,

in O

τοῖς δὲ φίλοισι πόνος δειλὰ παθὼν γενόμην,

at post v. 1318 sic:

τοῖσι φίλοις δὲ πόνος δεινὰ παθὼν γενόμην.

Vides neutrum codicem veram exhibere lectionem, sed prius codicis A vitium alterius testimonio sublatum est. Quod vero Henricus Jordan (p. 10) utrumque codicem δειλὰ recte

habere putat, quod consulto ex hexametri exordio repetatur, mihi secus videtur. Nisi exemplis probatum erit δειλά πάσχειν dici potuisse, δεινά, quod legi iam Camerarius voluerat, recte in iteratione substitutum esse adducar ut credam. Ille autem, qui post carmen quaternorum distichorum ad puerum scriptum (1311—1318) versus 1107—1108, quamvis omnino non spirent amores, iteravit, verbis τοῖς δὲ φίλοισι amasios designari ratus suos versus apte illis vere Theognideis claudi crassa Minerva putabat. Quod si vere statuimus, non est quod Bergkio assentiamur suspicato etiam hos versus ex παιδικῶν sylloge in gnomologiae partem novissimam ab homine male sedulo translatos esse.

Quoniam iam bis factum esse demonstravimus, ut auctor collectionis carminum in libro β' exstantium versus vere Theognideos quasi clausulam quandam versibus suis eisque ipsis maximam partem ex amplo Theognidis thesauro consarcinatis adiceret, non mirabimur illum distichon Theognideum, cui eroticam vim subderet, repetivisse et cum eo versus de suo promptos coniunxisse. Recte sine dubio Bergkius adnotavit versus post v. 1238 in A traditos, qui eidem sunt atque v. 1151—1152

Μήποτε τὸν παρεόντα μεθεὶς φίλον ἄλλον ἐρεύνα
δειλῶν ἀνθρώπων ῥήμασι πειθόμενος

tam arta necessitudine iunctos esse cum his:

πολλάκι τοι παρ' ἐμοὶ κατὰ σοῦ λέξουσι μάταια
καὶ παρὰ σοὶ κατ' ἐμοῦ τῶν δὲ σὺ μὴ ξυνίει,

ut alterius distichi subiectum ex δειλῶν ἀνθρώπων petendum esse manifestum sit. Sed prius distichon hinc libro α' insertum esse fieri non potest, ut existimemus.

Sed iam ad finem pervenimus. Si quid disputatione nostra effecimus, hoc comprobasse videmur omnium intra librum α' et β' iteratorum locorum vix unum esse, quo Theognidea carminum forma fidelius quam priore loco ser-

varetur et discrepantias, quae inter scripturas archetyporum et iteratorum versuum recurrunt, maximam partem ab arbitrio eius qui iteravit repetendas esse. Quod si eis, qui harum rerum periti sunt, probavero, satis habebo fundamentum iecisse eis quidem, si qui quasi in campo ab Henrico Jordan et Guilelmo Studemund relicto neque exsultare neque libere vagari, sed ingenii et artis et iudicii sollertiam exercere volent.



VITA.

Natus sum Mauricius Schaefer Wladislaviae (Loslau), oppidulo Silesiae superioris, XXI. die mensis Mai anni MDCCCLVII patre Bernhardo, matre Henrietta e gente Hollaender, ambobus superstitibus. Quibus ut benigno fato vitam in extremam senectutem producere contingat toto animo precor. Fidei addictus sum iudaicae. Litterarum primordiis in patria imbutus auctumno anni 1868 gymnasium regium Ratiboriense adii, quod tunc Gaedkio, deinde Rudolpho Kuenstlero, viro egregie de studiis meis merito, directoribus florebat. Huius viri praematura morte litteris et scholae abrepti memoriam grato animo colere non desinam. Maturitatis testimonio instructus vere anni 1875 Berolinum me contuli, ut a Mommseno inter cives academicos adscriptus philologiae et historiae studiis me dederem. Per octies senos menses scholis interfui, quas habuerunt viri clarissimi: Curtius, J. G. Droysen (†), Hübner, A. Kirchhoff, Lasson, Mommsen, Nitzsch, Prutz, Robert, Steinthal, v. Treitschke, Vahlen, Zeller. Praeterea viri memoriae aeternae J. G. Droysen et Nitzsch, ut historicarum, A. Kirchhoff et Vahlen ut epigraphicarum et philologicarum exercitationum sodalis essem benigne concesserunt. Quibus viris omnibus doctissimis, quorum disciplina eruditus sum, gratias ago candidissimas semperque habebo. Societati academicae philologicae per studiorum meorum quadriennium interfui et bis senos menses praefui. Anni 1880 mense Junio examine pro facultate docendi probatus eiusdem anni auctumno praeceptoribus gymnasii, quod vocant reale, auspiciisque Schwalbii, viri doctissimi et humanissimi, floret, aggregatus sum, ut annum tirocinii in pueris instituendis absolverem. Postquam ibidem per octo annos magistri adiutoris munere functus sum, tandem mense Octobri anni 1889 contigit, ut ordinarii praeceptoris munus mihi mandaretur. —

Sentententiae controversae.

I.

Theognis 79—80:

Παύρους εὑρήσεις, Πολυπαΐδη, ἄνδρας ἑταίρους
πιστοὺς ἐν χαλεποῖς πρήγμασι γινομένους

pro *γινομένους* scribendum *γινόμενος*.

II.

Jbidem 969—970:

ἔφθην αἰνήσας πρίν σευ κατὰ πάντα δαῆναι
ἤθεα· νῦν δ' ἤδη ναῦς ἅδ' ἑκὰς διέχω

quod Studemund in scholis pro *ἤδη* commendavisse dicitur, *ἤκης* (cf. Archilochi frg. 42 Hiller) unice verum esse contendo.

III.

In Ciceron. ad Attic. IV, 5, 2 recte scribi puto: sed tamen modici fuimus *ἀποθεώσει* pro *ὑποθέσει*. *M* habet *ΑΠΟΘΩΣΙ* (cf. editionem Romanam princîpem).

IV.

In Ovidi ep. Paridis v. 291—292:

Vix fieri, si sunt vires in semine morum,
Et Jovis et Ledae filia, casta potes,

semine corruptum est restituendumque **semina.** amorum libri, morum Merkel.

V.

In Ovidi e. P. IV, 9, 25:

Quoque magis noris quam me vulgaria tangant,
spectarem, qualis purpura te tegeret

vulgaria tangant defendi posse nego scribendumque propono:

Quoque magis noris quam me **tua gloria tangat,**
spectarem, qualis purpura te tegeret.

VI.

Quintilian. X, 1. 11: alia **vero**, quae etiamsi propria rerum aliquarum sunt nomina, *τροπικῶς* [quasi] tamen ad eundem intellectum feruntur, ut ferrum et mucro. pro aliquarum scribendum censeo: diversarum.

VII.

Ibidem X, 1, 16 ad hunc modum restituo: Excitat qui dicit spiritu ipso, nec imagine animos rerum, sed rebus incendit.

VIII.

In Taciti dial. c. 37 extremo verba, quae defectu laborare primus indicavit Agricola, sic aliquo modo sanari posse puto: quorum ea natura est, ut secura velint, fortia laudent.

IX.

Falso confunduntur L. Voltacilius Pilutus (Suet. gramm. 27 = rhet. 3) sive Vultacilius Plotus (Hieronymus ad Euseb. Chron. 1936 = 673/81) et M. Voltacilius Pitholaus (Macrob. Sat. II, 2, 13). cf. Teuffel-Schwabe, Gesch. der roem. Literatur 5. ed. § 158,3.

